ISBN of reproduction: 978-1-77096-155-5


EB XIII 52
BIBLIOTHECA
REGIAE
CANONIAE
STRAHOV
PRAGAE
BOHEMIAE

MANUALE CANONICORUM PRÆMONSTRATENSIUM

EXHIBENS

VOLUNTATEM DIVINAM

in

Præceptis } Evangelicis Christi
Consiliis }

Mandatis Regulæ S. Augustini.

Institutionibus S. Norberti

Constitutionibus S. Sedis

Statutis Ordinis Præmonstratensis

Decretis Capitulorum Generalium

Ejusdem Ordinis.

Quibus Privilegia Gratiæ dicto Ordini concessa, Reformationis Articuli, & Capitulorum annuorum Decreta Congregationis Antiqui Rigoris, atque Catalogus Monasteriorum Præmonstratensium hôc sæculô vigentium annectuntur,

Selectum & collectum

cum facultate Superiorum

Annô 1742.

Argentorati, Typis Melchioris Pauschingeri.

AD

CANDIDUM LECTOREM PRÆMONSTRATENSEM.

MUlta & varia tam ſacrorum quàm profanorum Authorum opuſcula præ ſe ferunt titulum manualis, & eorundem ratio decorandi illa hôcce nomine fuit ea, quam Hypponenſis Præſul S. Auguſtinus in præfatione ſui manualis allegat terminis ſequentibus: *Huic opuſculo ad lau-*

dem Dei operam dedi, ut breve & manuale verbum mecum ſemper haberem.

Ut Divina præcepta verſarentur in cordibus fidelium de generatione in generationem, juſſit Dominus Iſrael: *Narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens, & ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, erúntque, & movebuntur inter oculos tuos.* Deuter. 6. v. 8. & 9.

Sacra Antiqui Rigoris Congregatio Præmonſtratenſis in Capitulo annô milleſimô ſexcenteſimô octuageſimô quintô canonicè celebratô jubens Conſtitutionum ſuarum Manuale typis edi, voluit, eas enarrari filiis ſuis, & li-

gari quaſi ſignum in eorum manu, ac moveri inter oculos, ut meditentur in illis ſedentes in domo, & ambulantes in itinere, voluit, inquam, ut ſui alumni ad mentem S. Patris Auguſtini ex allegatis motivis verbum breve & manuale ſemper ſecum haberent.

Lucubratione multâ in optimo ordine & recta forma elaboravit piæ memoriæ Edmundns Maclot, Abbas Stagni, Vir Dei dulcedinis ſpiritu, Religionis zelô plenus, in rebus Ordinis expertus, in regimine verſatus, utpote qui ante Vicarius Generalis, pro tunc primus Definitor, hic, inquam, elaboravit dictum manuale Conſtitutionum noſtræ

Congregationis Antiqui Rigoris fideli collectione, ſicut examinatum à Reverendo admodùm Patre Joanne Etheart pro tunc Vicario Generali ſagaciſſimo ſub titulo: Inſtitutio Reformationis in Ordine Præmonſtratenſi, approbatum eſt.

Præfatus libellus intentioni Capituli plenè quidem ſatisfacit, tamen hocce opuſculum etiam non inutile reputandum, cùm in eo reperiatur facilitas reperiendi præfatas Conſtitutiones in ordine alphabetico collectas, & additæ ſint, quæ poſt dicti libelli editionem in Capitulis annuis emanârunt, imò adjuncta illis ſint tam Ordinis Statuta Capitulorúmque Generalium Decreta, quæ penes ſe habere

bere Ordo noſter ab omnibus exigit, quàm Privilegia atque alia in elencho ſpecificata.

Candide Lector! ea, quæ in hoc manuali continentur, non de privato Collectoris judicio prodeunt, ſi tamen aliqua reperiuntur prænotata, ea tam pauca ſunt, ut pro nihilo reputentur; quoniam verò ſelecta & collecta in eo ex ſacratioribus profluunt fontibus, imò ipſi ſunt fontes vitæ Chriſtianæ perfectioris ſeu religioſæ, de ſcaturigine, dignitate, atque intrinſeco pretio ſuo æſtimanda, diligendáque prædicantur, atque cùm talia ſint, quæ ignorare non debet Canonicus Præmonſtratenſis, ſed ſcire & facere ex Dei decreto Ordinis

 in-

inſtituto, ſtatúsque religioſi decentia, lectio hujus manualis frequentior enixè commendatur cum examine juxta methodum à S. Patre Auguſtino de legenda ſua regula præſcriptam, videlicet: *Ubi vos inveneritis illa, quæ ſcripta ſunt facientes, agite gratias Domino, bonorum omnium Largitori; ubi autem ſibi quicunque veſtrûm viderit aliquid deeſſe, doleat de præterito, caveat de futuro orans, ut ſibi debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur.* Amen.

* * * * *

ELEN-

ELENCHUS.

)(5 Nos

NOs Frater Nicolaus François, Sacræ Theologiæ Doctor, Abbas Janduriarum, & Congregationis Antiqui Rigoris Ordinis Præmonstratensis Vicarius Generalis.

Visâ Patris Joannis Blanpain, Sacræ Theologiæ Doctoris, Parochi ac Officialis Monasterii nostri Stivagiensis, approbatione libri, cui titulus est, Manuale Canonicorum Præmonstratensium, autore Patre Dionysio Albrecht, Superiore Residentiæ nostræ Sanctæ Odiliæ, ut ad ædificationem Ordinis nostri ac fidelium, in lucem prodeat, facultatem tenore præsentium concessimus & concedimus.

Datæ in Abbatia nostra Janduriarum die vigesimâ Februarii anni 1742. sub officii nostri sigillo, nostróque ac Secretarii nostri chirographo.

F. N. François Abbas
Janduriarum Vicarius Generalis.

De mandato Domini mei
D. Abbatis, ac Vicarii Generalis

F. J. Denis

Secretarius

LEgi, ex mandato Capituli annui Congregationis noſtræ Antiqui Rigoris Ordinis Præmonſtratenſis, de die 21. menſis Aprilis anni 1741. Opus, ſeu Collectionem, cui titulus eſt, *Manuale Canonicorum Præmonſtratenſium* auctore R. P. Dionyſio Albrecht, Superiore Reſidentiæ Stæ. Odiliæ eorumdem Ordinis & Congregationis: in eóque nihil deprehendi orthodoxæ fidei, vel bonis moribus, adverſum. Multa inſeruntur extracta è purioribus fontibus, è Sacrâ Scripturâ, ex Conciliis, SS. Patrum, præſertim Auguſtini Legislatoris noſtri, Scriptis, Summorum Pontificum Decretis & Conſtitutionibus. Aliam collectionem annexuit auctor ex Vita S. P. noſtri Norberti, ex Inſtitutionibus primævis, ex modernis Statutis, ex Capitulorum Generalium & Provincialium Decretis, quam luſtrare non pigebit Candidum Lectorem. Et nul-

nullus dubito, quin hæc omnia fideliter excerpta fuerint à ſcriptore indolis optimæ, converſationis integerrimæ, & ſinceræ fidei. Ita cenſeo. Stivagii, die vigeſimâ tertiâ menſis Januarii, anni 1742.

F. JOANNES BLANPAIN,
S. T. Doctor, Officialis & Parochus
Stivagienſis, Ord. Præm.

PRÆ-

PRÆCEPTA
EVANGELIO PROPRIA
NEC IN LEGE VETERI EXPRESSA.

Volentem consequi vitam æternam oportet scire & facere voluntatem Dei, seu servare præcepta, quemadmodùm Redemptor noster quærenti respondit adolescenti : Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. *Matth.* 19. *v.* 17. *& ut docuit discipulos :* Non omnis, qui dicit mihi : domine! domine! intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei. *Matth.* 7. *v.* 21.

Decalogi præcepta in lege veteri expressa, & à Christo in nova reiteratè imposita cordibus fidelium supponuntur inscripta aut impressa; quæ verò præcepta Evangelio propria nuncupantur in triplici ordine hîc sunt consignata, videlicet : in primo ordine præcepta omnibus fidelibus communia, & tantùm sub præcepti nomine accepta; in secundo ordine mixta, id est, partim præcepta, partim consilia; in tertio præcepta & consilia à

Christo seorsim data Apostolis, quæ vitam canonicam seu Apostolicam profitentium oculis velut speculum ad se cognoscendum proponuntur.

Voluntas Dei tam in præceptis quàm consiliis Evangelicis apertè declaratur, & inprimis, ut homines faciant voluntatem Dei, propter quod populo sequenti, non tamen voluntatem Dei facienti, exprobravit Dominus: Quid autem vocatis me domine! domine! & non facitis, quæ dico. *Lucæ* 2. *v.* 46.

Ipsum audite, *nempe Filium Dei, jubet Pater æternus, Lucæ* 9. *v.* 35. *verùm estote factores verbi, tam in præceptis quàm consiliis divinis prædicati, & non auditores tantùm: hoc enim Spiritus Dei exigit. Jacob.* 1. *v.* 22.

Observatio præceptorum de necessitate est, consiliorum quidem Evangelicorum in optione, sed tamen sinè illorum observatione difficile est consequi vitam æternam juxta Salvatoris eloquia. Matthæi 19. *v.* 23. *quapropter Christus convenienter determinavit consilia, & determinata proposuit, præceptisque suis addidit in libertatem & charitatem, ut adimpleret legem per ea, quæ in veteri lege servitutis non erant.*

Præter consilia Evangelica paupertatis voluntariæ, castitatis, obedientiæ religiosæ, utpote præcipua, etiamnum alia multa esse ex collectione præceptorum & consiliorum Evangelicorum à Cornelio à Lapide Soc: Jesu facta liquet, quæ sunt de illis, quibus meliùs & expeditiùs homo, ut

ut Angelicus Doctor primâ 2dæ q. 108. *art.* 4, *asserit, prædictum finem consequitur.*

Conqueritur Doctor gentium, Rom. 10. *v.* 16. Non omnes obediunt Evangelio, *quæ querimonia non concernit gentes non audientes illud, verùm eos, qui audierunt id prædicari, non tamen fecerunt, neque secundùm præcepta, neque juxta consilia, vitiis affixi obdurantes corda; sed væ illis! quoniam* Tyro & Sidoni remissiùs erit in judicio, *quàm eis. Lucæ* 10. *&* Servus, qui cognovit voluntatem domini sui, & non præparavit, & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis. *Lucæ* 12. *v.* 42.

More aliorum Religiosorum Canonici Præmonstratenses tria vovent consilia Evangelica, & quidem obedientiam secundùm Evangelium Christi, quod est obedire Evangelio, seu Superiori secundùm Evangelium præcipienti: quam ob causam convenienter huic manuali tam præcepta, quàm consilia Evangelica inseruntur, ut hæc præ cæteris Sacræ Scripturæ monumentis legantur, scrutentur, atque observentur.

Ex Cornelio à Lapide S. J. in Evangelia.

Primum præceptum: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum Dei. Matth. 4. v. 17.

2. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Matth. 5. v. 16.

3. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs, reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Matth. 5. v. 23.

4. Esto consentiens adversario (*actori & accusatori, quem verbo vel verbere læsisti*) tuo, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te adversarius judici, & judex tradat te ministris, & in carcerem mittaris. Matth. 5. v. 25.

5. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Matth. 5. v. 28.

6. Quod si oculus tuus (*vel manus*) dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te. Matth. 5. v. 29.

7. Omnis, qui dimiserit uxorem suam exceptâ fornicationis causâ, facit eam moechari, & qui dimissam duxerit, adulterat. Matth. 5. v. 32.

8. Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est. Matth. 5. v. 43.

9. Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio, qui autem dixerit fratri suo raca, reus erit concilio, qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Matth. 5. v. 22.

10. Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est. Matth. 6. v. 1.

11. Tu autem, cùm oraveris, intra in cubicu-

biculum tuum, & clausô oſtiô ora Patrem tuum in abſcondito, & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. Ibid. v. 6.

12. Orantes nolite multùm loqui (*ore ſed corde*) ſicut ethnici. Ibid. v. 7.

13. Sic ergò vos orabitis: Pater noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, &c.

14. Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, &c. ſed in cœlo. Matth. 6. v. 19.

15. Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ. Matth. 6. v. 24.

16. Nè ſoliciti ſitis animæ veſtræ; quid manducetis, neque corpori veſtro, quid induamini. Matth. 6. v. 25.

17. Quærite ergò primùm regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Nolite ergò ſoliciti eſſe in craſtinum. Matth. 6. v. 33.

18. Nolite judicare, ut non judicemini. Matth. 7. v. 1.

19. Nolite Sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos (*q. d.*) *Nolite Sancta dogmata tradere incredulis & obſtinatis, qui ea rideant & ſubſannent.* Matth. 7. v. 6.

20. Quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Matth. 7. v. 12.

21. Intrate per anguſtam portam, quia lata porta & ſpacioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem. Matth. 7. v. 13.

22. Qui dixerit (*verbum*) contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro. Matth. 12. v. 32.

23. Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Matth. 12. v. 36.

24. Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Matth. 18. v. 3.

25. Si autem in te peccaverit frater tuus vade & corripe eum inter te & ipsum solum: Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Ibidem v. 15.

26. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Ibidem.

27. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Ibidem.

28. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos: Joann. 13. v. 34.

Baptismus.

29. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Joann. 3. v. 2. & 5.

30. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti.

Docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis. Matth. 28. v. 78.

Euchariſtia.

31. Cœnantibus autem eis accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, dedítque diſcipulis ſuis, & ait: accipite, & comedite; hoc eſt corpus meum. Matth. 26. v. 26. & accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: bibite ex eo omnes. v. 27. hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. v. 28.

Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi; Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; & panis, quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita. Joan. 6. v. 51.

Sacrificium Euchariſtiæ.

32. Hoc facite in meam commemorationem. Lucæ 22. v. 19.

Pœnitentia.

33. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Joann. 20. v. 22.

Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo. Matth. 18. v. 18.

CONSILIA EVANGELICA.

Quæ omnia sunt de actibus heroicis, virtutum Christianarum, imò Apostolicarum.

1. Sine modò : sic enim decet nos implere omnem justitiam. Matth. 3. v. 15.

2. Beati pauperes spiritu. Matth. 5. v. 3.

3. Beati mites. v. 4.

4. Beati, qui lugent. v. 5.

5. Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam. v. 6.

6. Beati misericordes. v. 7.

7. Beati mundo corde. v. 8.

8. Beati pacifici. v. 9.

9. Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam. v. 10.

19. Beati estis, cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos mentientes propter me. v. 11. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Matth. 5. v. 39.

11. Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Matth. 5. v. 39.

12. Qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. v. 40.

13. Quicunque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo. v. 41.

14. Omni petenti te tribue, & qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas. v. 48.

15. Estote vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est. v. 48.

16. Se-

16. Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Matth. 22.

17. Vos autem nolite vocari Rabbi; unus enim eſt Magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis. Matth. 23. v. 8.

18. Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram, unus eſt enim Pater veſter, qui in cœlis eſt. v. 9.

Nec vocemini Magiſtri, quia Magiſter veſter unus eſt Chriſtus. v. 10.

19. Qui major eſt veſtrûm, erit miniſter veſter. v. 11.

Qui autem ſe exaltaverit, humiliabitur, & qui ſe humiliaverit, exaltabitur. v. 12.

20. Oportet ſemper orare, & nunquam deficere. Lucæ 18. v. 1.

21. Sunt eunuchi, qui ſe caſtraverunt propter regnum cœlorum, qui poteſt capere, capiat. Matth. 19. v. 12.

22. Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, ſequere me. Matth. 19. v. 21.

23. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Lucæ 10. v. 42.

24. Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Joann. 15. v. 13.

25. Benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos. Matth. 5. v. 44.

MIXTA.

Hoc est: partim consilia, partim præcepta.

1. Ego autem dico vobis non jurare omnino. Matth. 5. v. 34.

2. Sit autem sermo vester: est, est: non, non; quod autem his abundantius est, a malo est. Ibid. v. 37.

3. Cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito. Matth. 6. v. 6.

4. Petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis. Matth. 7. v. 7.

5. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, & qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. Matth. 10. v. 40.

6. Et quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, Amen dico vobis, non perdet mercedem suam. v. 41.

7. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, tollite jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum & humilis corde. Matth. 11. v. 28. & 29.

8. Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror & mater est. Matth. 12. v. 50.

9. Si

9. Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Matth. 16. v. 24.

10. Mutuum date, nihil inde ſperantes. Lucæ. 6. v. 35.

11. Vendite, quæ poſſidetis, & date Eleemoſinam. Lucæ 12. v. 33.

12. Vigilate itaque omni tempore orantes. Lucæ 21. v. 36.

13. Scrutamini ſcripturas. Joann. 5. v. 39.

14. Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. Joann. 6. v. 27.

15. In hoc cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem. Joann. 13. v. 35.

PRÆCEPTA ET CONSILIA
à Chriſto ſeorſim data Apoſtolis.

1. Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. Matth. 4. v. 19.

2. In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis; ſed potiùs ite ad oves, quæ perierunt domûs Iſraël. Matth. 10. v. 5.

3. Euntes autem prædicate dicentes: quia appropinquavit regnum cœlorum. v. 7.

4. Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmonia ejicite. v. 8.

5. Gratìs accipiſtis; gratìs date. Ibidem.

6. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. v. 9.

7. Non peram in via, neque calceamenta, neque virgam; dignus est enim operarius cibo suo. v. 10.

8. In quamcunque civitatem aut castellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus sit, & ibi manete, donec exeatis. v. 11.

9. Intrantes autem domum salutate eam dicentes: Pax huic domui. v. 12.

10. Et quicunque non receperit vos, neque audiverit sermones vestros; exeuntes foras de domo vel civitate excutite pulverem de pedibus vestris. v. 14.

11. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum; estote ergo prudentes sicut serpentes & simplices sicut columbæ. v. 16.

12. Cavete autem ab hominibus, tradent enim vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos. v. 17.

13. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. v. 19.

14. Cum autem vos persequentur in civitate ista, fugite ad aliam. v. 23.

15. Ne ergo timueritis eos. v. 26.

16. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta. v. 27.

17. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere,

sed

ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. v. 28.

18. Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram, ſed gladium; veni enim ſeparare hominem adversùs patrem ſuum, & filiam adversùs matrem ſuam & nurum adversùs ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici ejus. v. 34.

19. Qui amat patrem aut matrem plus, quàm me, non eſt me dignus. v. 37.

20. Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. v. 38.

21. Qui invenit animam ſuam, perdet illam, & qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam. v. 39.

22. Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui me miſit. v. 40.

23. Nemini dixeritis viſionem (*transfigurationis*) donec filius hominis à mortuis reſurgat. Matth. 16. v. 9.

24. Quicunque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter, & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus. Matth. 20. v. 26.

25. Suſtinete, & vigilate mecum; vigilate, & orate, ut non intretis intentationem. Matth. 26. v. 38.

26. Tu aliquando confirma fratres tuos. Lucæ 22. v. 32.

27. Et ego mitto promiſſum Patris mei in vos: vos autem ſedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Lucæ 24. v. 49.

MAN-

MANDATA
REGULÆ Sti. AUGUSTINI, HYPPONENSIS EPISCOPI.

CErtiſſima & generalis regula eſt, quòd lex ex natura ſua liget conſcientiam, niſi legislator exprimat mentem ſeu intentionem non obligandi ſub culpa; & quia neque ex verbis Sti. Auguſtini Legislatoris, neque ex approbatione inſtituti noſtri facta à Paſchali II. ſatis patet intentio eorum non obligandi ad culpam, imò contrarium potiùs eruitur ex regulæ verbo: *præcipimus*, & aliis ad finem regulæ poſitis; quibus mandatur, transgreſſorem regulæ debere dolere, & orare Dominum, ut delictum ſibi dimittatur, deduxit ex his principiis D. Servatius de Lairvelz, SS. Theologiæ Doctor, Vir doctrinâ & ſanctitate eximius, Abbas S. Mariæ zeloſiſſimus, ex labore reformationis in Ordine emeritiſſimus, deduxit, inquam, concluſionem ſequentem: Regulæ mandata obligare vel ad mortale vel veniale, pro ratione materiæ magìs vel minùs gravis, & pro clariori notitia exponit in optica ſua, qualiter ſingula regulæ mandata obligent, in cujus venerandam memoriam ejus ſenſus plurimùm ex probatis Auctoribus firmatus regulæ mandatis hìc ſuccinctè annectitur.

Man-

Mandatum primum : Ante omnia diligatur Deus, deinde proximus.

Obligant hæc duo mandata sub peccato mortali, nisi excuset subreptio, vel inadvertentia, vel defectus judicii, vel levitas materiæ, sicut excusant in sequentibus omnibus mandatis. D. de Lairvelz.

2. Unanimes habitetis in domo Domini, & sit vobis anima una, & cor unum in Deo.

Obligat sub mortali, nisi excuset indeliberatus actus, vel levitas materiæ, seu actûs imperfectio. S. Thomas 2. 2. q. 37. art. 1. & de Lairvelz.

3. Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.

Obligat sub mortali, nisi parvitas materiæ excuset. D. de Lairvelz & omnes DD.

4. Distribuatur unicuique à Præposito vestro victus & tegumentum non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed potiùs unicuique, sicut cuique opus fuerit.

Obligat sub mortali nisi levitas excuset. D. de Lairvelz & omnes DD.

5. Qui verò aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt monasterium, libenter illud velint esse commune.

Obligat sub mortali, nisi levitas materiæ excuset. D. de Lairvelz Jur. Civ. & Can. Trid. SS. 25. de regul. cap. 2. & omnes DD.

6. Qui autem non habebant, non ea quærant in monasterio, quæ nec foris habere potuerunt.

Obli-

Obligat ſub mortali, niſi indeliberatio vel levitas materiæ excuſet. D. de Lairvelz Navar. Lib. 3. conſil. conſilio 75. de regular. n. 17. & omnes DD.

7. Sed tamen eorum infirmitati, quod opus eſt, tribuatur, & ſi paupertas eorum, quando foris erant, nec ipſa neceſſaria poterat invenire.

Obligat ſub mortali, niſi levitas materiæ vel inadvertentia excuſet. Dominus de Lairvelz, & omnes. DD.

8. Non tamen ideo putent, ſe eſſe felices, quia invenerunt victum & tegumentum, quale foris invenire non poterant, nec erigant cervicem, quia ſociantur eis, ad quos foris accedere non audebant.

Obligat ſub veniali tantùm; niſi interveniat vana complacentia vel ſuperbia mortalis. D. de Lairvelz.

9. Sed rurſum cor habeant, & terrena ac vana non quærant.

Obligat ſub mortali vel veniali pro ratione objecti. D. de Lairvelz.

10. Illi, qui aliquid videbantur eſſe in ſæculo, non habeant faſtidio fratres ſuos; qui ad illam Sanctam Societatem ex paupertate venerunt; magìs autem ſtudeant non de parentum divitum dignitate, ſed de pauperum fratrum Societate gloriari.

Obligat ſub veniali tantùm, niſi faſtidium illud

lud confratrum ad contemptum notabilem perveniret. D. de Lairvelz.

11. Nec extollantur, si communi vitæ aliquid de facultatibus suis contulerint, nec de suis divitiis magìs superbiant, quia eas monasterio partiuntur.

Obligat sub veniali tantùm, nisi intervenerit ingens fratrum contemptus, vel scandalum notabile. D. de Lairvelz.

12. Omnes ergo unanimiter & concorditer vivite.

Obligat sub mortali in rebus necessariis ad salutem, nisi excuset inadvertentia. D. de Lairvelz.

13. Et honorate in vobis Deum invicem, cujus templa facti estis.

Obligat sub mortali, quando imminet scandalum, vel adest proximi necessitas. D. de Lairvelz.

14. Orationibus instate horis & temporibus constitutis.

Modò sub mortali, modò sub veniali juxta scandali quantitatem, & orationis necessitatem. D. de Lairvelz, & DD. in communi.

15. In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est.

Sub veniali, nisi aliquid fieret ad impediendam aliorum orationem, vel magnitudo irreverentiæ faceret mortale. D. de Lairvelz, & Cap. decet de immunitate Ecclesiæ in 6.

16. Psalmis & hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore.

Sub mortali, nisi evagationis inadvertentia, vel parvitas excuset. D. de Lairvelz, Cajetanus in 2. 2. q. 83. art. 13. Major. in 4. dist. 12. q. 7.

17. Nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum, quod autem non ita scriptum est, ut cantetur, non cantetur.

Sub veniali tantùm, nisi contemptus vel malus finis intervenerit. D. de Lairvelz. Navarrus de Oratione, Cap. 16. n. 72.

18. Carnem vestram domate jejuniis & abstinentia escæ & potûs, quantùm valetudo permittit.

Obligat sub mortali modò, & modò sub veniali pro diversitate præceptorum Ecclesiæ videlicet vel Ordinis. D. de Lairvelz, Cajetanus in 2. 2. q. 186. art. 9.

19. Quando autem aliquis non potest jejunare, non tamen extra horam prandii aliquid alimentorum sumat, nisi cum ægrotat.

Obligat sub veniali tantùm, nisi interveniat excessus vel contemptus. D. de Lairvelz. D. Thomas. 2. 2. q. 148. art. 2. Cajet. in 2. 2. q. 186. art. 19. Idem nostri Herlet. Landmetter, & alii.

20. Cum acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundùm consuetudinem legitur, sinè tumultu & contentionibus audi-

audite, nec solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures esuriant Dei verbum.

Obligat sub veniali tantùm, nisi passim lectio incuriâ Superioris intermittatur. D. de Lairvelz.

21. Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine, si aliter tractentur in victu, non debet aliis molestum esse, nec injustum videri, quos aliqua consuetudo fecit fortiores, nec illos feliciores putent, quia sumunt, quod non sumunt ipsi.

Obligat sub veniali tantùm, nisi interveniat gravis murmuratio vel scandalum. D. de Lairvelz.

22. Post ægritudinem sic tractandi sunt, ut citius recreentur.

Obligat sub veniali D. de Lairvelz, si tamen de necessariis non provideretur ex magnitudine defectûs, mortale esset.

23. Infirmi cum vires pristinas reparaverint, redeant ad feliciorem consuetudinem suam; nec cibi eos teneat voluptas jam vegetatos; quos necessitas levarat infirmos.

Obligat sub veniali. D. de Lairvelz.

24. Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus.

Modò sub mortali, modò sub veniali. D. de Lairvelz. Jacobus de Graff. Lib. 2. c. 76. n. 7. Cajet. in 2. 2. q. 169. art. 1.

25. Quando proceditis, simul ambulate, cum veneritis, quò itis, simul state.

Sub veniali tantùm. D. de Lairvelz.

26. In inceſſu, ſtatu, habitu, & in omnibus motibus veſtris nihil fiat, quod cujusquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem.

Sub veniali tantùm. D. de Lairvelz. S. Thomas. 2. 2. q. 186. per totam.

27. Oculi veſtri, & ſi jaciantur in aliquam fœminarum, in nullam figantur.

Sub mortali. D. de Lairvelz. Alex. Halenſis tract. 2. de Luxuria.

28. Invicem pudicitiam veſtram cuſtodite.

Obligat modò ſub mortali, modò ſub veniali juxta commoditatem cuſtodiendi fratrem ſuum à turpitudine. D. de Lairvelz.

29. Si hanc oculi petulantiam in aliquo veſtrûm adverteritis, ſtatim admonete.

Obligat ſub veniali tantùm, niſi illa petulantia oculi eſſet mortalis. D. de Lairvelz.

30. Si autem, & poſt admonitionem iterum vel alio quocunque die id ipſum eum facere videritis, jam velut vulneratum ſanandum prodat, quicunque hoc potuerit invenire. Priùs tamen eſt alteri vel tertio demonſtrandum, ut duorum vel trium poſſit ore convinci, & competenti ſeveritate coerceri.

Obligat ſub mortali, niſi circumſtantiæ aliter doceant faciendum. D. de Lairvelz. Bannes in 2. 2. q. 33. art. 8. dubio 2. concluſ. 5.

31. Convictus ſecundùm Præpoſiti, vel etiam

etiam Presbyteri arbitrium debet emendatoriam ſubire vindictam.

Obligat ſub mortali, niſi excuſet ſubreptio. D. de Lairvelz.

32. Quam ſi ferre recuſaverit, de veſtra ſocietate projiciatur, ne contagione peſtifera plurimos perdat.

N. hoc mandatum regulæ per circumſpectionem Sanctæ Sedis modificatum eſt.

33. Quod dixi de oculo non figendo etiam in cæteris peccatis diligenter & fideliter obſervetur cum dilectione hominum & odio vitiorum.

Obligat ſub mortali, ſi circumſtantiæ neceſſariæ concurrant. D. de Lairvelz, & omnes de fraterna correctione tractantes.

34. Quicunque in tantum progreſſus fuerit malum, ut occultè litteras ab aliquo, vel quodlibet munus acceperit, ſi hoc ultrò confiteatur, parcatur illi, & oretur pro eo.

Obligat ſub mortali vel veniali pro ratione prohibitionis vel materiæ ſubjectæ. D. de Lairvelz. Navarrus Comment. 2. de Reg. n. 13. & libro Conſiliorum, titulo de Reg. conſ. 75. n. 43.

35. Si autem deprehenditur atque convincitur ſecundùm arbitrium Præpoſiti graviùs emendetur.

Obligat Superiorem ratione culpæ corrigendæ. D. de Lairvelz.

36. Veſtes veſtras in unum habeatis ſub uno cuſto-

custode, & ſicut paſcimini ex uno cellario, ſic induamini ex uno veſtiario.

Obligat communitas victûs & veſtitûs ſub mortali, non tamen locus communis ad reponendas veſtes; niſi acceſſerit præceptum Superioris. D. de Lairvelz.

37. Si fieri poteſt, ad vos non pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur, utrum hoc recipiat unusquisque quod depoſuerat, an aliud quod alter habuerat.

Obligat ſub veniali tantùm, niſi interveniret gravis murmuratio, vel ex proprietatis affectu fieret. D. de Lairvelz.

38. Hinc vos probate, quantum vobis deſit in illo interiore ſancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis.

Obligat ſub veniali tantùm. D. de Lairvelz.

39. In uno tamen loco ſub communibus cuſtodibus habete, quod ponitis.

Obligat ſub veniali. D. de Lairvelz.

40. Nullus ſibi aliquid operetur; ſed omnia opera veſtra in unum fiant majori ſtudio & frequentiori alacritate, quàm ſi vobis ſingulis faceretis propria.

Obligat ſub mortali, niſi excuſet rei parvitas. D. de Lairvelz. Navarrus Comment. 2. de Regul. n. 3.

41. Cum quis filiis ſuis, aut aliqua neceſſitate ad ſe pertinentibus in monaſterio conſtitutis, aliquam contulerit veſtem, ſive quodlibet

bet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur, sed sit in potestate Præpositi, ut in rem communem redactum, cui necessè fuerit præbeatur.

Obligat nunc sub mortali, nunc sub veniali juxta rei acceptæ quantitatem. D. de Lairvelz.

42. Quod si aliquis rem sibi collatam cellaverit, furti judicio condemnetur.

Confirmatur, quod annotatum mandato præcedenti. D. de Lairvelz. Sylvester verbo Religio 6. 7.

43. Indumenta vestra secundùm arbitrium Præpositi laventur.

Obligat sub veniali tantùm, nisi subesset contemptus. D. de Lairvelz. & Sylvester verbo Ornatus in 2. 2. q. 186. art. 9.

44. Lavacrum corporis cùm infirmitatis necessitas cogit, minime denegetur.

Obligat sub mortali vel veniali juxta egentis necessitatem. D. de Lairvelz.

45. Fiat sine murmure de consilio Medici, ita ut etiamsi nolit, jubente Præposito faciat, quod faciendum est pro salute. Si autem velit & non expedit, suæ cupiditati non obediatur. Denique si latens est dolor in corpore, famulo Dei dicenti, quid sibi doleat, credatur. Sed tamen utrum sanando illi dolori, quod delectat, expediat, si non est certum, Medicus consuletur.

Obligat sub mortali, si jussio importet præce-

ptum, nisi complexionis suæ conscius planè contrarium esse faciendum sibi bonâ fide persuaderet. D. de Lairvelz.

46. Nec eant ad balnea, vel quocunque ire necesse fuerit, minùs quàm duo vel tres, & ille, qui habet aliquò eundi necessitatem, cum quibus Præpositus jusserit, ire debebit.

Obligat sub veniali tantùm, nisi subesset malus finis. D. de Lairvelz.

47. Ægrotantium cura alicui debet injungi, ut ipse de cellario petat, quod cuique opus esse perspexerit.

Obligat sub mortali vel veniali pro ægrotantis necessitate. D. de Lairvelz.

48. Qui cellario, sive qui vestibus, sive qui codicibus præponuntur, sine murmure serviant fratribus suis.

Obligat sub mortali vel veniali juxta murmurationis circumstantias. D. de Lairvelz.

49. Codices certâ horâ singulis diebus petantur, extra horam qui petierit, non accipiat.

Non obligat sub pœnâ peccati, nisi accedat præceptum Superioris. D. de Lairvelz.

50. Vestimenta verò & calceamenta, quandò fuerint indigentibus necessaria, dare non differant, sub quorum custodia sunt, quæ poscuntur.

Obligat sub mortali, si dilatio fuerit notabilis, & malitiosa. D. de Lairvelz. Sylvester verbo Prælatus. n. 4.

51. Li-

51. Lites aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis, ne ira crescat in odium.

Obligat sub mortali, nisi actûs imperfectio excuset. D. de Lairvelz. Navarr. cap. 23. *Manual. n.* 33. *&* 34.

52. Quicunque convitiô vel maledictô vel etiam criminis objectô aliquem læserit, meminerit satisfactione quàm citiùs curare, quod fecit, & ille, qui læsus est, sine disceptatione dimittere.

Obligat sub mortali, nisi actûs imperfectio excuset. D. de Lairvelz. Navarr. c. 18. *Manualis n.* 10. 11. *&* 12.

53. Si autem invicem se læserint, invicem sibi debita relaxare debebunt propter orationes vestras, quas utique quantò crebriores habetis, tantò sanctiores habere debetis.

Obligat sub mortali in re gravi. D. de Lairvelz. Navarr. cap. 18. *n.* 46.

54. Proinde vobis à verbis durioribus parcite, quæ si emissa fuerint de ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, unde facta sunt vulnera.

Obligat sub veniali tantùm, nisi inde accideret notabile scandalum. D. de Lairvelz. Navarr. cap. 18. *n.* 15. *&* 16.

55. Quando autem necessitas disciplinæ in moribus coërcendis dicere vos verba dura compellit, si etiam in ipsis vos modum excessisse sentitis, non à vobis exigitur, ut à vobis subditis veniam

postuletis, ne apud vos, quos oportet esse subjectos, dum nimiùm servatur humilitas, regendi frangatur authoritas. *Sed tamen petenda est venia* ab omnium Domino, qui novit etiam eos, quos plus justo forte corripitis, quantâ benevolentiâ diligatis.

Obligat sub mortali ad petendam veniam à Deo, si excessus fuit mortalis. D. de Lairvelz.

56. Non carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio.

Obligat juxta amoris carnalis qualitatem. D. de Lairvelz.

57. Præposito tanquam Patri obediatur, multò magis Presbytero, qui omnium vestrûm curam gerit.

Obligat sub mortali, nisi bona fides excuset. D. de Lairvelz.

58. Ut cuncta ista (*Mandata regulæ*) serventur, & si quid minùs servatum fuerit, non negligenter prætereatur, sed ut emendandum corrigendúmque curetur, ad Præpositum præcipuè pertinebit, ut ad Presbyterum referat, quod modum vel vires ejus excedit.

Obligat sub mortali, si defectus Præpositi invehat corruptionem disciplinæ monastericæ. D. de Lairvelz.

59. Ipse verò, qui vobis præ est non se existimet potestate dominante, sed charitate serviente felicem.

Obli-

Obligat ſub mortali, ſi ad dominandum ambierit Prælaturam, niſi levitas ambitionis excuſet. D. de Lairvelz.

60. Honore coram vobis Prælatus ſit vobis, timore coram Deo ſubſtratus ſit pedibus veſtris.

Explicat mandatum præcedens. D. de Lairvelz.

61. Circa omnes ſe ipſum bonorum operum præbeat exemplum.

Obligat ſub mortali, niſi excuſet parvitas rei. D. de Lairvelz.

62. Corripiat inquietos.

Obligat ſub mortali, niſi parvitas inquietitudinis excuſet. D. de Lairvelz. Bannes poſt Scotum in 2. 2. q. 33. art. 2. dub. 2.

63. Conſoletur puſillanimes.

Obligat ſub mortali in puſillanimitate gravi, ut ſit via ad peccatum mortiferum. D. de Lairvelz.

64. Suſcipiat infirmos.

Obligat ſub mortali, niſi inadvertentia ſeu morbi levitas excuſet. D. de Lairvelz.

65. Patiens ſit ad omnes.

Obligat ſub mortali, ſi impatientia ſit notabilis. D. de Lairvelz.

66. Diſciplinam libens habeat, metuendus imponat.

Obligat ſub mortali, ſi negligentia in ſervanda & imponenda ſit notabilis. D. de Lairvelz.

67. Plus à vobis amari appetat, quàm timeri.

Per

Per se non obligat sub peccato, nisi in quantum irrationabiliter excitaret suos in sui odium, & vellet tantummodò timeri. D. de Lairvelz.

68. Cogitans Deo se pro vobis redditurum rationem.

Non Obligat, sed stimulat. D. de Lairvelz.

69. Unde & vos magìs obediendo, non solùm vestri, sed etiam ipsius miseremini, qui inter vos; quantò in loco superiori, tantò in periculo majori versatur.

Obligat sub mortali in gravibus necessitatibus, in communibus sub veniali. D. de Lairvelz.

70. Semel vobis in septimana (*regula*) legatur, & ubi vos inveneritis ea, quæ scripta sunt facientes, agite gratias Domino bonorum omnium Largitori. Ubi autem sibi quicunque vestrûm viderit aliquid deesse, doleat de præterito, caveat de futuro, orans, ut sibi debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. Amen.

Ignorare regulam, & ex ignorantia in eam peccare est mortale, quando ignorantia cadit super totam regulam. D. de Lairvelz, & communis Doctorum cum S. Thom. 1. 2. q. 76. art. 2. Mandatum legendi de septimana semel regulam obligat sub veniali, dummodo absit contemptus, & Superioris præceptum non accedat. In Superiore esset mortale, illam consuetudinem legendi regulam intermittere vel intermissam non restituere. D. de Lairvelz. Bannes in 2. 2. q. 33. art. 3. dub. 3.

IN-

INSTITUTIONES
A S^to. NORBERTO REGULÆ AUGUSTINIANÆ SUPERADDITÆ.

QUaliter in Divina voluntate sint fundatæ Institutiones S.P. nostri Norberti, cùm satis declaratum sit in opusculo de Sanctis sancti Patris nostri Desideriis, utpote ejusdem Institutionibus nuper edito & approbato, candidus Lector ad illud dirigitur; sed ut enarrationi earundem fides tribuatur, quòd verè sint Institutiones nostri sancti Fundatoris, citationes locorum adduntur.

1. Quotidie portare crucem Christi, id est: totam vitam ducere in pœnitentiâ. In Serm. S. P. Norberti.

2. Canonicam seu Apostolicam ducere vitam. In Vita S.P. Norberti. In Bullis confirmantibus Ordinem Præmonst. In diplomate Bartholomæi Laudunensis Episcopi.

3. Militare sub regula S. Augustini. In Sermone S. P. Norberti, & Constitutionibus Pontificiis.

4. Habitus tam internus, quàm externus totaliter candidus. In Sermone S. P. Norberti. In ejusdem Vita. In Statutis primariis.

5. Laneis ad carnem, & femoralibus semper uti. In Vita S. Norb. & prim. Statutis.

6. Abstinentia perpetua excepto infirmitatis

tis casu. In Vita S. Norb. & in Bullis Pontificum.

7. Jejunium perpetuum. In Vita S. Norb. cap. 16. apud P. le Paige in sua Biblioth. Præmonstr. In capitulo generali circa annum Ordinis 50.

8. Laudes Dei, seu horas canonicas tam diurnas quàm nocturnas, & nocturnas quidem media nocte decantari. In Vita S. Norberti. In Statutis primariis.

9. Officium B. Virginis in choro & extra chorum horis canonicis quotidie adjungi. P. le Paige in Bibl. Præmonstr. lib. 1. c. 5.

10. Missas tres & matutinalem, & de B. Virgine, & majorem præter privatas quotidie in qualibet Ordinis Ecclesia celebrari. Idem ibidem.

11. Quotidiana munditia circa altare, & divina mysteria. In Vita S. Norb.

12. Quotidiana in Capitulo & ubique emendatio. Ibidem.

13. Quotidiana pauperum cura & hospitalitas. Ibidem.

14. Juge silentium omni tempore, omni loco, & perpetuum in templo, refectorio, dormitorio & claustro. In Vita S. P. Norberti. In Statutis primariis.

15. Habitare in desertis. In diplomate Bartholomæi Laudunensis Episc. In Monasteriologo Ord. Præmonstr. Tom. I. pag. 42.

16. Sta-

16. Stabilitas loci. In Serm. S. Norberti. In Statut. primar. & ipſa profeſſionis formula.

17. Labor manualis. In diplomate fundatoris Bartholomæi Epiſc. Laud. apud P. le Paige lib. 2. pag. 372. In Serm. S. Norb. in Vita ejusdem.

18. Non ſe invicem nominare dominos, ſed fratres. P. le Paige lib. 1. p. 206.

19. Abbates in communi refectorio comedant, communibus pulmentis, pane & potu veſcantur, & in communi dormitorio cubent. P. le Paige in Bibliotheca Præmonſtratenſi. In Bulla Innoc. IV. quæ incipit Sedis Apoſtolicæ. & in Statutis primariis.

20. Præmonſtrati ut ſit caput Ordinis, & ibidem in feſto S. Dionyſii celebretur capitulum generale annum. In Vita S. Norberti. In Bulla Innocentii II.

SERMO

EJUSDEM S^ti^. PATRIS NORBERTI, in quo inſtitutionum quarundam hic ſupra ſpecificatarum fit mentio.

HUnc Sermonem à noſtro P. le Paige in ſua Bibliotheca Præmonſtratenſi relatum, à D. Hieronymo Hirnhaim Abbate Strahovienſi enucleatum, & à Domino Carolo Hugo ex Latino in Gallicum idioma translatum, & ab eodem in vitæ S. P. Norberti librum inſertum non dubitet candi-

candida posteritas esse genuinum S. Patris nostri partum, qui in Germaniæ Circariis magni habetur, & ita quidem, ut post regulam hebdomadariè in refectorio lectam aut decantatam etiam Sermo præfatus legatur.

Ut hæc filialis devotio erga Sanctissimum Patrem nostrum foveatur, atque promoveatur memoriæ Posteritatis Candidæ plurimùm commendatur hic Norbertinus sermo ac etiam monita spiritualia S. Patris: quæ super membrana in idiomate Gallico scripta conservantur in archivo Monasterii S. Mariæ Mussipontanæ, & de quibus præfatus D. Carolus Hugo in notis ad Vitæ S. Noberti liberum tertium, pag. 255. asserit, ea ex sermonibus S. Noberti fuisse extracta.

Hortamur vos, Fratres dilectissimi, ad sedulam Dei, cui specialium votorum professione vos obligastis, servitutem tenemini enim; vobismetipsis & cunctis vestris sponte abnegatis, & purè propter Deum derelictis in humeris vestris quotidie portare Crucem Christi, hoc est: crebris diversarum passionum angustiis patienter ducere totam vitam in pœnitentia.

Hæc est enim arcta via cœli, quæ in ea perfectè ambulantes ad veram perducit patriam; quam Christus moriendo & vivendo, opere & verbo strenuè præmonstravit, quam nisi cum fiducia aggrediamini, & pro modulo vestræ possibilitatis in ea ambuletis, non potestis ad Christum venire, sicut dicit Apostolus:

lus: *Nullus coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* Et iterum: *Qui voluerit Christo commanere, debet, sicut ipse ambulavit, ambulare.*

Ambuletis ergo in via Dei cautè, ne morte comprehendamini improvisè, propterea observantes Obedientiam, voluntariam Paupertatem, & famosam Castitatem. Sine his omnis substantialis virtus Ordinis penitus desolatur.

Vos enim, qui stabilitatem promisistis in hoc sacro loco, sitis sine fastidio suscepti oneris in Dei servitute continui, nisi interdum necessitate exteriorum actionum præpediti: ne dissolutio inutilium divagationum, suavitatem virtutum, internâ dulcedine divinorum Mysteriorum gustatam, auferat; & labentis mundi, qui nullum locum à sordibus habet tutum, fallaciter amorem inducat.

Quia sicut piscis extra aquam, penitus necessariis alimentis naturalibus carens, citò moritur; sic instabilis Religiosus, munitione, custodiâ Claustri exutus, exemplis & doctrinis bonorum alienus, mundo, cujus status *in maligno positus est*, pluries conversatus, citò ad vitia labitur, & nexibus perpetuæ mortis detinetur.

Fugite igitur sæcularium hominum frequentiam, sicut piscis siccitatem: ne obliviscamini interioris custodiæ diligentiam, quæ mentis generat puritatem. Illud enim gloriosum nomen sanctæ religiositatis vobis indignè

dignè uſurpatis, ſi in deſideriis veſtris non ſoli Deo, ſed plus mundo, religati eſtis.

Debetis igitur eſſe ſtabiles, charitate concordes, maximè linguas veſtras refrenantes; ut ſine murmuratione, detractione, & absque invidia in Domo Domini unanimes habitetis. Lingua enim maliloqua & doloſa, *inquietum malum eſt, plena veneno mortifero*, non deſinens lædere, bonum pacis conturbans, & Religionis devotionem enervans. Idcircò de talibus ſcribitur: Qui litigioſus vel queruloſus eſt, verus Monachus non eſt.

Quapropter refrenate linguas veſtras, figentes vel erigentes corda veſtra ad ſupernorum Regna, ubi vera ſunt gaudia: & deſiderio devotionis veſtræ cum perfectis volate in nubibus, contemplando Divina; & cum mærore portate pondus carnis veſtræ, ut poſſitis dicere cum Beato Apoſtolo: *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Et cum Pſalmiſta: *Educ de carceribus* corporum noſtrorum *animas noſtras*, ut valeatis conregnare Chriſto in æternum.

Si qui autem habitu Religioſo, ſub ſpecie columbinæ ſimplicitatis, & lactis innocentiæ, exteriùs nitidè amicti, à devotione perfectæ Religionis coram Deo (cui cogitationes omnium nudæ & apertæ ſunt) interiùs miſerè nudati, ſalutaris doctrinæ monita, monitoremque contumaci corde ſpernunt, ſanctum Regularis diſciplinæ Ordinem non obſer-

ſervantes ; procul dubio ad illum teterrimum æternorum tormentorum locum, niſi ſe prius emendaverint, perducentur, ubi *nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.*

Præcaveatis igitur horrenda Divinæ Majeſtatis judicia, illi devotè ſervientes, in timore & juſtitia, ut vos conſervet in Religioſa vita, & à pœnis prædictis vos cuſtodiat ipſius clementia, qui ſibi fideliter ſervientes affluenter ditabit, piè dans pro parvis magna, pro temporalibus æterna; ſicut ipſe Diſcipulis ſuis de contemptu rerum ſuarum, & de labore bonorum operum ſuorum mercedem inquirentibus, dicebat: *Centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis.* Ad quam vos perducat Chriſtus, Amen.

Nullum tædeat, vel moleſtet hanc chardam ſæpius inſpicere, in qua brevis exhortatio ad cultum Dei reperitur. Verbum enim Dei ignitum eſt, ſecundùm Prophetam ardore Sancti Spiritus inflammatum, urens vitia, acuens virtutes, benevolas animas ditans ſapientiâ, miniſtrans illis cœleſtia alimenta. Et ideo voce Salvatoris dicitur: *Beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.*

Sic Beata Maria Magdalena intenta aure perfectæ devotionis & ardenti deſiderio divinæ Contemplationis, verbum Dei fideliter audiendo, optimam partem dicitur elegiſſe; quam Beata Martha, ſedulo cultu laborioſæ miniſtrationis Salvatori noſtro in ſuis huma-

nis fragilitatibus impenſis, nequaquam potuit conſequi, nec valuit obtinere.

Audite ergo illud libenter, cuſtodite ſapienter, etiam adimplete ſemper; ut in fine ſæculorum illud mellifluum verbum Dei hilariter poſſitis audire: *Venite Benedicti Patris mei, percipite regnum æternum.* In quo tunc tranquillitate perpetuæ pacis, glorificatâ facie viſionis perfectæ & cognitionis Dei æternaliter gaudebitis; ubi Deus abſterget omnes lacrymas oculorum veſtrorum. Nec erit ultrà mors, neque ullus dolor; quia momentanea tormenta priorum paſſionum veſtrarum omnia breviter tranſierunt.

Ibi manifeſtabitur multitudo dulcedinis Dei, quam abſcondit vobis, & omnibus timentibus ſe. Ibi apparebunt delectationes infinitæ mirabilium dexteræ Dei, quibus conſolabitur vos, & omnes electos ſuos, uſque in finem.

Ibi ſaluberrimus fons hortorum Dei, quo vos fecundabit; ibi indeficiens puteus aquarum viventium, quo vos inundabit; ibi inæſtimabilis ubertas deliciarum Domus Dei, quâ vos inebriabit; ibi dulcis torrens voluptatum ejus, quo vos potabit.

Ibi Deus præcinget ſe virtute & potentia; & candore lucis internæ veſtitus, tranſiens miniſtrabit vobis, dans ſe ipſum in mercedem magnam, & in omnium deſiderabilium veſtrorum ſuperfluentem immenſæ largitatis effectum,

ctum, ſicut quondam Beato Abrahæ Patriarchæ ipſi credenti & obedienti promiſit, dicens: *Ego ero merces tua nimis valdè.*

Hæc merces eſt illa ſola una pretioſiſſima margarita jam prædicta, pro qua debetis omnia veſtra vendere, & inceſſanter laborare, ut comparetis eam. Cujus nobilitatis ſuavitatem, præ multitudine magnitudinis ſuæ, indagatio ſenſûs humani, ſecundùm Apoſtolum, non valet ad plenum cognoſcere; nec intima cordis, ſuarum ſubtilium acie cogitationum, metam ſcientiæ illius attingere, neque ſcire: quam etiam, propter magnitudinem virtutum, & excellentiam dignitatum, nec ſuppliciis paſſionum, nec exercitiis bonorum operum, poteſtis ad plenum promereri, niſi Deus illam vobis dederit gratioſè.

Quia ſecundùm Apoſtolum, *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ* poſt hanc vitam *revelabitur in nobis*, quia orandus eſt Deus, ut ad ſupra dicta adjuvet, & cuſtodiat ea vobis in finem, Amen.

Rogetis ergo devotè omnipotentem Deum, qui pro vobis homo factus eſt, qui fragilitatem humanæ conditionis in ſe ipſo expertus, cognoſcit figmentum veſtrum: *quoniam vanè conſtituti ſunt omnes filii hominum; & quod ſenſus hominum proni ſunt ad malum*; ut ſuâ vos bonitate adjuvet, & pietate cuſtodiat: quatenus peracto curſu ſine delectatione carnalis

amoris, ſic tranſeatis per bona temporalia, ut non amittatis, ſed obtineatis æterna. Hoc vobis piè tribuat, qui cum Deo Patre, & Sancto Spiritu vivit & regnat per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

Monita Spiritualia, Sanctæque Praxes Sancti Patriarchæ Norberti Fundatoris Ordinis Præmonſtratenſis, ex ejus documentis extracta & ipſo perfectiſſimè ſervata.

Fides.

SEqui rationem hominis eſt, verùm ſe gerere ſecundùm regulas & motiva fidei proprium eſt viri perfecti, ſanctéque viventis.

Qui ex præcordiis ſumma cum veneratione ſacræ fidei myſteria non meditatur, pro certo habeat, quod nunquam ipſa debito affectu venerabitur.

Fides ſine operibus, expulsâque charitate eſt quaſi lampas absque oleo, & candela ſine igne.

Chalybe ſilicem feriens ignem excuties, ſic vivida fides myſteriorum potens eſt, ardentes ſcintillas divini amoris excitare ex lapideis cordibus.

Ante omnia ſæpius hæc tria mediteris: Deum incarnatum, qui unigenitus Patris æterni in

in ſtabulo naſci dignatus eſt, & tuæ ſalutis ergò fæno jacere pertulit. 2. Sponſum pulchræ dilectionis, qui in cœnaculo carnem donat & ſanguinem. 3. Agnum occiſionis, qui factus obediens usque ad mortem, quam in Calvariæ monte calumnioſam ſubit, & patitur amoris gratiâ. Hi ſunt fornaces, ex quibus ignem elicere, fidem vivificare, & amorem accendere potes, niſi fors animo careas.

Pietas & Religio.

Sancta ſanctè tractanda ſunt.

APes de flore currunt ad florem, ut mel undique legant, ſic anima varia fidei myſteria perluſtrare debet, ut devotionem nanciſcatur; ſed præſertim dum ſacro-ſanctum Chriſti corpus vel ob oculos ponitur, aut in ipſo tuo corde latet. Memor eſto, cunctas colligere vires, ut huic divino hoſpiti ſingulas animæ facultates, ſed præ cæteris voluntatem omnino ſubdere coneris, & emittere ex ipſo corde ferventes affectus.

Sanctiſſimæ Deiparæ Virginis non eſt filius, qui ei totâ animâ non ſervit.

Intentio hujus Matris pulchræ dilectionis nos decorantis candidâ veſte ſymbolò puritatis, non alia fuit, quàm ut verâ devotione ad ſuam immaculatam conceptionem induceremur. Igitur ſi hoc non accenderis amore,

ſi in moribus iſtam non aſſequeris virgineam caſtitatem, veſte & nomine tantùm es Canonicus Præmonſtratenſis.

Sanctorum reliquias colere debes magnâ veneratione, quæ univerſis terræ theſauris ſunt præſtantiores, & ſi quas in domo tua ſervas, eas tanquam domûs & cordis tui cuſtodes habeas.

Spes & Confidentia in Deo.

DE propria virtute confidere eſt ædificare ſuper arenam, aut incumbere arundini vel baculo ſemifracto.

In unica de ſe diffidentia, & in Deo confidentia firmatæ virtutis fundamentum eſt poſitum.

Dum ſupremæ Majeſtatis honor agitur, licèt arduum ſit & difficile negotium, ad Deum te converte dicens: Ecce Domine ſinè te nihil poſſum, & tecum omnia ſunt poſſibilia; quo dicto proſperum eventum tibi ſponde.

Quidquid feceritis, turbari neceſſum eſt conſilia veſtra bona; ſed fortes eſtote & memores, quia quodcunque Pater cœleſtis in cordibus veſtris plantavit, nunquam evelletur, niſi diffidatis de Ejus bonitate.

Etiamſi mundus bellum indixerit, caro recalcitaverit, dæmon vos obſederit, ne terreamini; multùm de viribus amiſerunt, ex quo

quo Salvator eos armis ſpoliavit, qua cogitatione accendite veſtram fidem & dicite: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

Ad divinam providentiam confidenter recurrite, Deus vobis nunquam deerit, in manu potenti & brachio excelſo vos deducet, nec unquam vos deſeret.

Oratio & Recollectio.

VIr linguoſus, curioſus & vagus eſt quaſi hypocauſtum absque calore & omni ex parte perforatum; niſi ad mentem tuam interdixeris aditum rebus temporalibus & affectionibus humanis, nunquam frueris tranquillæ orationis ſuavitate.

Quid debeas orare, Scriptura Sacra te docebit.

Liber orationis eſt occupatio Sanctorum, hunc ſæpè ſæpius pervolve, & in eo divini ardoris fontem habere poteris.

Initium, medium & finis cunctorum operum eſt oratio; adverſùs tentationes nullam meliorem & aptiorem galeam reperies oratione.

Nullum video diſcrimen inter piſcem extra aquam jacentem, & cœnobitam, cujus ſpiritus recollectionis neſcius inter varias ſæculares & indifferentes curas vagatur.

Charitas Dei.

SCire cupidus es, quid ſit amore dignum? Solus Deus & nihil ultra.

Si de Deo ſæpe cogites, ſi ad majorem ejus gloriam cuncta referas, ſi omnia pro ipſo facere & pati paratus es, tum credas, quòd intimo amore laudabilique zelo eum diligas.

Vivere Deo & pro Deo, vera & unica Paradiſi felicitas eſt. Verſatus inter perſecutiones, gladios & ictus nihil à Deo deſiderabam, quàm Salvatori meo pro ſanguine ſanguinem, pro vita vitam reddere; experto crede magiſtro, anhelare martyrium, & illud non pati, tormentum ineffabile videtur flagranti ſincero amore Dei.

Frequentes de cœleſtibus epulis & æterna felicitate ſermones ſunt quaſi magnetes, quibus corda licèt ferrea ad amorem divinum alliciuntur. Qui Deo ſervit, ut ab hominibus videatur, haurit necem ſibi ſimul cum veneno.

Charitas proximi.

LIbenter proximi causâ cunctos impende labores, quod niſi feceris, ipſum ſicut temetipſum non diligis. Qui ex agro ſublimium cogitationum ſuperbos verborum faſciculos colligit, non tam ut ignaris vias ſalutis demon-

demonſtret, quàm ut doctis placeat, hic certè non proximum diligit, ſed ſe ipſum.

Charitas requirit, ut arguatur vitium; concionator in cathedra temnens hoc officium, canis eſt in domo latrare neſcius.

Non eſt modicum unam tantùm animam Deo lucrari, & licèt unica ovis perierit, ipſam quærite, & inventam ad ovile reducite.

Si proximi incommoda eô animô, quô tu tua, ſuſtines, ipſum diligis; at verò ubi ictibus te obvium offers ſpontaneâ fortitudine, ut eum ab his tutes, nihil ultra à te charitas poſtulat.

Unionem cordium procurare, & fovere docet Chriſti ſchola, neque verus eſt ejus diſcipulus, qui iſtam ſpernit doctrinam.

Eſſe non poteſt, quin cadat congregatio aliqua ſine concordia, & cum ea quin floreat.

Qui omnibus omnia factus, hic verè charitatis officio fungitur.

Amor pauperum & paupertatis.

QUoslibet ad ſe ſuſcipere, & in egenos partem bonorum erogare, totius eſt origo abundantiæ.

Qui ſponte pro Deo pauper eſt factus, injuſtè conqueritur, ſe ſicut pauperem tractari aut veſtiri.

Verſa-

Verſatus in aulis inter opulentias comperi, nunquàm in his cor eſſe contentum, & extra eas nunquam non placatum.

Divitiæ ſunt tranſitoriæ, ſed ſancta paupertas eſt bonum permanens, & ſignum æternitatis beatæ.

Patientia, manſuetudo & affabilitas.

IN ſchola veritatis diſcimus, non dentem pro dente, non malum pro malo; ſed pro malo bonum reddere.

Perſecutiones pateris? patiens eſto. Meliorne es tuo Magiſtro? Onus vituperii, falſæ accuſationis, opprobrii dorſo tuo imponitur? fortis eſto, ex bona amicitia tecum nonne agitur?

Conciliare tibi animum proximi labores per hæc media, ſcilicet: per converſationem affabilem, vultum ſerenum, manſuetum ſermonem & acceptum.

Humilitas.

SI trutinæ pars una aſcendit, altera deſcendit, ſic & te dum mundus ſpernit, inferiorem locum aſſumis.

Diſcrepant judicia Dei & judicia hominum, quod mereris, Deus tribuit, & nihil ultra. Dum ſperneris & illuderis, dum injuriis,

juriis, alapis afficeris, ex intimo corde gratias age, & ſic te tractanti gratum ac affabilem te exhibe absque ulla ultionis voluntate exclamans: o quàm juſtus eſt Deus! qui tam benignè dignatur retribuere, quod mea facinora meruerunt. Pueri nugis incumbentes non multùm notantur, quia hæc eorum annos non dedecent, ſed ſi Religioſus (cujus unicus finis eſſe debet, ut ignotus ſit mundo) ambiat honores, & dignitates, ſtultus & vanus meritò dicitur.

Exercere officia humilia & abjecta, nullum contemnere niſi te ipſum, alimentum eſt perfectæ humilitatis.

Diſce ſemel ſaltem hanc veram doctrinam, quia nunquam Spiritus Sanctus apud ſuperbos manſionem facit.

Caſtitas.

CAſtitas eſt flos, quem Religioſus Præmonſtratenſis ſemper ſecum portare & ſervare debet, ſicut enim margarita in corona, ſic celebris & famoſa caſtitas in actibus cunctis relucere debet.

Corpori indulgere eſt fovere inimicum.

Qui inter ſæculares vult degere, & mundanis converſationibus quodammodò ſatiari, nec tamen continentiæ detrimentum pati, ſimilis eſt ei, qui picem contrectare præſumeret, nec inde digitos macula fædare vellet.

Obe-

Obedientia & reſignatio.

QUi, quod Deo placet, ſectatur, quod diſplicet, fugit, poteſt ſemper pace frui, & internâ gaudere quiete. Nunquam propriæ voluntatis ſtudium attendas, ſed ad Deum usquequaque confugias, ſic immenſam bonitatem deprecans: Domine! quid me vis facere? Licèt Deus ad ſublimiora te extollat, vel ad ima deducat, ſpectatos eventus non concedat, quid tua? ſic vult Deus, & cum ipſo velle debes. Si quælibet petita te *impetrare* à Summo Deo gaudes, quid ergo ei denegabis?

Dum loquuntur Superiores, Dei vices gerere illos cogita, & quæ dicunt, humiliter attende, & ſtatim juſſa exequere. Satiùs eſſe duco, fornacem ardentem adire, & ipſam mortem ſubire, quàm non obedire.

Septem

DIVI NORBERTI

Illuſtria Dicta & Spirituales Regulæ.

1. IN Aula nunquam benè, & in Clauſtro nunquam fui malè contentus.

2. Fui in Aula, fui in Clauſtro, fui in Dignitatibus Eccleſiaſticis, & ubique didici: quòd nihil melius ſit, quàm: Eſſe totum ad Deum.

3. In

3. In auſteritatibus ſunt torrentes deliciarum pro iis, qui eas guſtare ſciunt.

Vita auſtera voluptatum ferax eſt; nemo autem credit, niſi qui experitur.

4. Quare diabolum formidamus armati Chriſto Jeſu?

5. Mille mundi non ſunt comparandi paci & quieti bonæ conſcientiæ, & cordi ſincerè Religioſo.

Mille mundi tanti non ſunt, quanti conſcientia bona, & diſciplinæ amans cor.

6. Calumnia eſt probatio cordis patientis & generoſi, quæ potiùs toleranda eſt, quàm ceſſare laborare pro Deo.

7. *S. Norberti principale deſiderium fuit, pax cordis interior; quâ ergo cum frueretur, ſæpius in hæc verba prorupit:* Qui Deum habet pro ſe, turbatur in nulla re.

Ita P. Amabilis Bonnefons S. J. & alii in vita S. Norberti.

CON-

CONSTITUTIONES

Sanctæ & Apoſtolicæ Sedis pro Ordine Præmonſtratenſi factæ.

CUm ob meliorem ordinem & majorem facilitatem reperiendi Conſtitutiones Apoſtolicas, eæ omnes inter privilegia utpote privilegia diſciplinæ ſint alphabeticè conſignatæ, etiam in ſtatutorum extractu hìc ſequenti notatæ, Candidus Lector illuc oculos convertat; quia tamen Rmus. D. Petrus Goſſetius totius Ordinis Caput, & Generalis in ſua declaratione, qualiter obligent ſtatuta, communibus ſtatutis noſtri Ordinis ad initium inſerta excipit inter excipienda etiam illa, quæ ex Romanorum Pontificum privilegiis ad marginem ibidem ſunt notata, hìc ſaltèm juxta ordinem annorum, quô Pontifices vixerunt, Conſtitutionésque præfatas ediderunt ſpecialiter pro noſtro Ordine, ijdem Summi Pontifices nominantur, eorundem Bullarum & Brevium initia citantur, atque loca, ubi ad marginem notata, deſignantur.

Ponti-

Pontifices Max.	*Initia.*	*Loca in statutis.*
Adrianus IV.	Sicut in humano	dist. 2. C. 7. n. 1.
		dist. 3. C. 14. n. 9.
Alex. III.	In Apostolicæ Sedis	dist. 2. C. 7. n. 1.
		C. 19. n. 4.
		dist. 4. C. 15. n. 4.
Honorius III.	Dilecti filii	dist. 2. C. 23. n. 36.
Idem	Cum sis Pater	dist. 3. C. 11. n. 8.
Greg. IX.	Justis petentium	dist. 2. C. 19. n. 31.
Idem	In eminenti	dist. 4. C. 10. n. 13.
Idem	Olim intellecto	dist. 4. C. 23. n. 1. & 2.
Innocentius III.	Etsi nemo	dist. 4. C. 29. n. 11.
Innocentius IV.	Sedis Apostolicæ	dist. 1. C. 15. n. 15.
		C. 17. n. 2.
		dist. 2. C. 5. n. 1. & 8.
		C. 16. n. 8. 16. 20.
		C. 19. n. 6.
		C. 21. n. 1.
		C. 23. n. 22.
		dist. 3. C. 2. n. 17.
		dist. 4. C. 10. n. 13.
		C. 15. n. 1.
		C. 16. n. 11.
		C. 23. n. 1. & 2.
		C. 25. n. 1.
		C. 30. n. 21.
		C. 31. n. 3.

Pontifices Max.	*Initia*	*Loca in statutis*
Idem	Virtute conspicui	dist. 1. C. 7. n. 20.
		dist. 2. C. 1. n. 6.
Idem	Qui divini	dist. 2. C. 7. n. 1.
Idem	Justis petitionibus	dist. 2. C. 10. n. 4
Idem	In eminenti	dist. 2. C. 19. n. 4.
		dist. 4. C. 1. n. 18. & 19.
		C. 12. n. 21.
		C. 15. n. 4.
		C. 22. n. 1.
		C. 28. n. 1. & 5.
Idem	Ubi supra	dist. 4. C. 23. n. 3. 4. 5. 6. 7.
Idem	Cum à nobis	dist. 4. cap. 31. n. 5.
Idem	Cum pro toto Ordine	dist. 4. cap. 30. n. 5.
Alex. IV.	Excitat	dist. 1. C. 7. n. 20.
		dist. 2. C. 23. n. 36. 41.
Idem	Cùm ferè	dist. 4. C. 28. n. 1.
		dist. 2. C. 7. n. 1.
Urbanus IV.	In eminenti	dist. 4. c. 12. n. 1. n. 21.
Idem	Qui igitur	dist. 2. C. 23. n. 1.
Idem	Quia inter vos	dist. 4. C. 22. n. 1.
Nicolaus IV.	Noverint universi	dist. 2. C. 23. n. 36.
Idem	Significatur nobis	dist. 2. C. 23. n. 41.
Clemens V.	Religiosam vitam	dist. 2. C. 23. n. 1.
		dist. 4. C. 31. n. 6.
Idem	Quia vos	dist. 2. C. 23. n. 37.
Joannes XXIII.	Habentes in desider.	dist. 2. C. 23. n. 37. & 41.
Sixtus IV.	Quoties à nobis	dist. 2. c. 23. n. 37. & 41.

Pontifices Max.	*Initia*	*Loca in statutis.*
Idem	Regimini universalis	dist. 4. C. 12. n. 19.
Julius II.	Rationi congruit	dist. 1. C. 10. n. 4. & n. 7.
Idem	Ex debito	dist. 2. C. 23. n. 37. 41.
Pius V.	Regularium Personarum	dist. 4. C. 23. n. 1.
Greg. XIII	Ubi gratiæ	dist. 4. C 23. n. 2.
	Olim intellecto	dist. 4. C. 23. n. 1.
Clemens VIII.	In Bulla data annô 1593.	dist. 1. C. 6. n 11. & 16.
Idem	Cùm ad regularem	dist. 1. C. 8. n. 4. C. 8. n. 8. C. 15. n. 2. C. 16. n. 19. C. 20. n. 5.
Idem	Nullus omninò	dist. 2. C. 4. n. 1. & 6. dist. 2. C. 24. n. 1. & 12. C. 10. n. 27. C. 22. n. 1. dist. 4. C. 3. n. 21.

De Bulla Clementis VIII. quæ incipit: Nullus omninò &c. notandum est, eam esse ab Ordine Præmonstratensi susceptam jubente Urbano VIII. sicuti ad eundem Urbanum VIII. exponitur à Patre le Paige in dedicatoriis Bibliothecæ Præmonstratensis, & id ipsum eruitur ex locis statutorum, ubi dicta Bulla citatur.

EXTRACTUS

Statutorum Ordinis Præmonſtratenſis, quæ partim omnibus intra & extra clauſtrum, & partim aliis intra illud ſolùm, & partim aliis extra tantùm morantibus, atque ipſis Superioribus in notitiam ſerviunt, uſúmque eſſe queunt.

PRænotandum Imo. quòd extractus ſtatutorum adjungatur manuali ex motivo, quô Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus D. D. Petrus Goſſetius totius Ordinis Generalis voluit, atque præcepit: ut omnes & ſinguli Prælati ſtatuta annô 1630. *à Capitulo Generali plenè reſoluta, & acceptata, & omnibus Ordinis alumnis ad ſtrictè obſervandum impoſita, ſibi ſuisque conventualibus comparent, & ſedulò curent, ut omnes ſubditi tam Paſtores & Beneficiati, quàm Conventuales, aliique omnes (omnium enim ſalutem concernunt, & ad eorum obſervationem adſtringuntur omnes) eadem ſtatuta penes ſe habeant, ſtudioſe evolvant, & magna attentione ruminent, non tam ut ſciant, quàm ut exactè obſervent. Capitulum Generale anni* 1535. *quoque juſſit, ut Beneficiarii ſtatuta Ordinis penes ſe habeant.*

Præ

Prænotandum 2dò Eundem Reverendissimum D. Generalem declarâsse quidem, quòd neque ipse, neque Capitulum Generale intenderit, subditos ad statutorum observationes stringere sub obligatione peccati, sed sub obligatione pœnæ duntaxat, nisi scandalum vel contemptus, vel quid aliud transgressionem vel mortalem vel venialem efficiat. Verùm notanter adjunxit: sub hac declaratione nullatenus comprehensa 1. *tria Religionis vota obedientiæ scilicet, castitatis & paupertatis. 2dò. quæ ad communem vitam, victum & vestitum conservandum, aliáque, quæ, ut ait Concilium Tridentinum, Ss.* 25. C. 1. de regul. *ad substantiam regularis vitæ pertinent, quæ à nullo remitti vel relaxari queunt.* 3*tiò nec ad ea, quæ ex Romanorum Pontificum privilegiis, ordinationibus atque decretis, & ex Conciliis, vel etiam ex constitutionibus juris communis statutis nostris sunt in margine pleraque annotata, hanc nostram extendi volumus declarationem.*

Nam Sanctæ Sedis auctoritatem prout debemus, & prout etiam prædecessores nostri fecerunt, omnino volumus exceptam, & eorum decreta, sicut & Conciliorum, & quæ ex Canonibus sunt intermixta, eam retinere vim, quam à suis auctoribus sibi inditam habent.

Prænotandum 3*tiò. Statuta Ordinis nostri esse interpretationes nostræ Augustinianæ regulæ, & ab ea esse talia, sicut & mandata regulæ, ut absque gravissima noxa aspernari non valeant, & absque aliquali perfectionis detrimento, etiam*

minima quoque præteriri non possint, ex ejusdem Illustrissimi capitis declaratione, & hanc ob caussam capitula generalia anni 1657. *Ss.* 12. *anni* 1660. *Ss.* 11. *anni* 1717. *Ss.* 12. *statuta Ordinis ad litteram vel prout jacent, observari mandant.*

Prænotandum 4*tò statutorum homologationem à Magno Consilio Regis Galliæ anno* 1670 *factam; sed illi puncto aut articulo statutorum de revocatione Parochorum se opposuit Archiepiscopus Augustæ Auschorum anno* 1674. & *obtinuit sententiam derogatoriam de eodem Magno Consilio, ut non possint revocari, nisi ex causis notatis in antiquis statutis. Libellus, qui præfert titulum: Institutio reformationis, notat pag.* 194. *jussu Ludovici XIII.* 9. *Augusti anno* 1630. Statuta, *articulos congregationis reformatæ in tabulas Consilii Magni redacta.*

Prænotandum 5*tò: Statuta non omnia visa sunt posse enarrari, sed solùm ea, quæ omnibus tam intra quàm extra claustrum degentibus etiam Superioribus, Officialibus, Pastoribus, Administratoribus, Vicariisque conveniunt, hìc annunciantur ita tamen, ut si quis plura annotare cuperet, ea calamô addere posset in spatiis ad hunc finem relictis, quod ipsum etiam in Catalogo decretorum, privilegiorúmque Ordinis nostri observari poterit.*

STA-

STATUTA

Ordinis Præmonſtratenſis Alumnis omnibus communia.

Diſtinctio I.

Caput 1. Divinum Euchariſtiæ Sacramentum omnes noſtri Ordinis Religioſi ſummâ mentis ſubmiſſione venerentur. n. 1.
Trid. Ss. 13. *c.* 1.

Tranſeuntes ante Venerabile Sacramentum humiliter genu flectant; verùm infra Presbyterii gradus ſub divino officio ceremoniæ ſine genuflexione peragantur. n. 2.

Sacerdotes eam vitæ & mundi cordis nitantur habere puritatem, ut quotidie vel ſæpius ſaltem in ſeptimana Sacro-Sanctum Miſſæ Sacrificium dignè Deo offerant. n. 7. Celebraturi ſe ipſos probent. n. 9.

Tam privatæ quàm ſolemniores Miſſæ cum ritibus & ceremoniis in ordinario ac Miſſali præſcriptis ſinè ulla diminutione vel adjectione exactiſſimè perficiantur. n. 14.

Caput 2. Ante matutinas flexis genibus legantur tres Pſalmi cum verſiculis & collectis utì in initio breviarii præſcribuntur. n. 3.

Caput 3. Omnes extra chorum existentes ſub obligatione peccati venialis horas de B. V. præſcriptis diebus integrè & plenè perſolvere teneantur. n. 3.

Ad officium defunctorum, commendationes, ſeptem pſalmos pœnitentiales, Litanias quotiescunque in breviario dicenda præſcribuntur extra chorum exiſtentes etſi negligere non debeant, tamen ad ea privatim complenda ſub obligatione alicujus peccati non ſint obſtricti. n. 6.

Caput 4. Horæ diurnæ ac nocturnæ, ut devotè attentè ac reverenter perſolvantur, magnâ prorſus & anxiâ curâ ſe præparare ſtudeant. n. 1.

De Conſecrat. diſt. 1. *C.* 70. *De celebr. Miſſæ C.* 9. *Dolentes. Trid. Ss.* 24. *v.* 12. *de reform.*

Ante officium divinum perſolvendum fratres mentem diſponant. n. 5.

Corporis ſtatus ſub officio divino ſit rectus, non incurva, ſed recta ſit ſeſſio, & inceſſus gravis. ibidem.

Cantus ſit gravis & lentus nunquam præcipitatus. n. 6.

Riſus & quæcunque diſſolutiones à divinis officiis arceantur. n. 12.

Caput 6. Absque legitima à Prælato acceptâ poteſtate extra articulum mortis, alterius confeſſionem nullus ſacerdotum excipere præſumat. n. 8.

Caput 7. Omnes feriâ ſextâ in feſtum triplex vel duplex non incidente diſciplinam accipiant. n. 14.

Caput. 8. Meditationi per mediam horam omnes incumbant. n. 4.

Caput 9. Examen conſcientiæ ad quadrantem horæ producendum. n. 21.

Caput 10. De tempore jejunii.

Dies, quibus jejunare tenentur, ſunt: Litania major, dies Rogationum, Vigiliæ Pentecoſtes, V. Sacramenti, Viſitationis, Aſſumptionis, Nativitatis, Conceptionis & Purificationis B. V. Mariæ & Sti. Norberti: Item per totum Adventum, omnibus per annum Feriis ſextis & in jejuniis ab Eccleſia inſtitutis. n. 3.

In Natali Domini fratres bis reficiantur. n. 5.

Caput 11. De victu.

Feriâ ſextâ ſanctâ ab omnibus in pane & aqua jejunetur. n. 4.

Caput 12. De refectione & collatione.

Jentaculum, merenda & omnis extrahoraria comeſtio & bibitio quàm ſtrictiſſimè interdicuntur. n. 40.

De Conſec. diſt. 5. Retales diſt. 53. c. Luxurioſa & ſeq.

Nullus vel incedendo comedat, vel ſtando bibat. n. 43.

Caput 13. De dormitorio.

In quocunque loco eam fratres ſervent ho-

neſtatem, ut nunquam appareant nudi. In lecto conſtituti ita operimenta ſua componant, ut nulla corporis pars jaceat denudata. n. 6.

Caput 15. De admiſſione Novitiorum.

Nullus religioſus noſtri Ordinis aliquem ordinem noſtrum intrare volentem impediat. n. 10.

Caput 16. De veſtitione.

Neque Profeſſi, neque Novitii Sacerdotibus; nec Sacerdotes ipſis absque licentia unquam loquantur. n. 26.

Caput 21. Nullus honorem ambiat, vel ut ad ordines mittatur Prælatum ſolicitando fatiget. n. 11.

Caput 22. De itinerantibus.

Egredientium habitus ſit honeſtus; nec ulla curioſitate notabilis. n. 3.

Oculus juxta regulam ſit caſtus, nequaquam petulans, vel vagus. n. 5.

Omnis effuſior riſus ſedulò caveatur. n. 8.

Hoſpitia ſeu tabernas, niſi propter itineris vel aliam neceſſitatem, nullus ingrediatur. n. 10.

Si aliquod occurrat Ordinis Monaſterium, ad quod divertant, benedictionem à Superiore loci petant. n. 11.

Cum fratres extra Monaſterium hoſpitari coguntur, hoc ſolerter procuret Senior, ut ad mutuam cuſtodiam in eâdem domûs parte ſimul collocentur. n. 13.

Spiri-

Spiritualia exercitia & conſcientiæ examen in toto nunquam omittant. n. 15.

Domum de itinere reverſi ante omnia Deo gratias acturi templum adeant, ~~Deum~~ dein benedictionem à Superiore, vel Præſide accipiant. n. 16.

Nuptias qualiumcunque nemo adeat, nequidem ipſe Prælatus. n. 22.

Neque dedicationes aut ſolemnitates oppidorum vel pagorum. n. 23.

Caput 23. De infirmis.

Qui ſinè licentia carnes comedere diebus prohibitis præſumpſerint, debitè puniantur. n. 8.

De Conſec. Diſt. 5. *C. Carnem.*

Caput 24. De raſura.

Raſura in vertice capitis ſit ſatis magna, & æqualiter rotunda. n. 1.

Corona capillitia trium digitorum ſit latitudinis, & usque ad aures deſcendat. n. 2.

Barbæ tam Paſtorum, quàm Clauſtralium ad cutem usque radantur. n. 3.

Diſt. 23. *C. prohibita. C. Non liceat de honeſtate Clericorum.*

Diſtinctio ſecunda.

Caput. 1. Prælatus, in cujus perſona Deus præſentatur, propter Deum in ſummo ſemper honore habeatur. n. 8.

Qui-

Quilibet ante eum transiens, quocunque loco fuerit, caput denudans & in partem se retrahens, ac ad eum se convertens profunde se inclinet. n. 9.

Is, cui Abbas, vel qui Abbati loquitur, nudo sit capite, & quoadusque Prælatus aliud mandaverit, ita permaneat. n. 11.

Quicunque Prælato vel librum vel quid aliud obtulerit, accedens & recedens profundè inclinet, & accipiens manum Prælati humiliter osculetur. n. 12.

In Prælati præsentia observent, ut se in verbis, gestibus, vestitu, ac in omnibus motibus suis modestè & disciplinatè se habeant. n. 13.

Caput 9. De Abbate moriente.

Abbate ad mortis necessitatem deveniente omnes fratres magnam pro eo curam gerant, ac intentissimis precibus obitum ejus Divinæ commendent Majestati. n. 1.

Caput 19. De vestitu.

Omnes utantur indusiis laneis etiam Parochi. n. 1.

Collare tunicæ talaris non magìs, quàm ad latitudinem pollicis replicetur. ibidem.

Vestes omnes sint albæ, nec sint subtiles vel splendidæ. n. 4.

Pretiosis pellibus non utantur. n. 10.

Tunicæ talares ad talos usque pedum ad minùs descendant, & anteriùs sint consutæ,

nisi

nisi sub iis sutanæ clausæ gerantur, ut vestes interiores nequaquam appareant. n. 12.

Scapularia eandem cum tunicis habeant longitudinem, & eorum latitudo sit decem pollicum. n. 14.

Manicæ tunicarum sint simplices nec ulla notabili sutura elaboratæ, nec sint vel nimìs strictæ vel nimìs latæ & inferiùs, ubi manus attingunt in rotunditate, latitudinem quatuordecim pollicum non excedant. n. 16.

Cingulum sit religiosum & simplex. n. 18.

Byretis albis quadratis Canonici Sacerdotes utantur. n. 19.

Muffulas licitè habeant Canonici albas, Laici griseas n. 20.

Licet uti chirothecis. n. 21.

In solo thorace, seu inferiori habitu, & femoralibus nunquam esse, vel incedere, liceat. n. 24.

Ocreis ac pileis seu galeris albis uti in itinere ac labore valeant: n. 27.

Distinctio quarta.

Caput 2. De Capitulo Generali.

Singuli Sacerdotes in suis Missis, dum celebratur Capitulum Generale Dominicâ Cantate, accipiant collectam: Deus, qui charitatis dona. n. 1.

Singuli Canonici illo die & duobus sequentibus legant psalmum Miserere cum Oratione Domi-

Dominicâ, & Salutatione Angelica, ac collecta prædicta: Deus, qui charitatis dona; conversi quoque ea persolvant exceptâ collectâ. n. 2.

Idem observandum tempore Provincialis Capituli juxta cap. 9. n. 4.

Caput 14. Ne Principum vel Magnatum vel aliorum quorumcunque sæcularium favor aut auxilium ad obtinendas dignitates, officia, vel beneficia implorare præsumant. n. 1.

Caput 21. *De iis, quæ Religiosis interdicuntur.*

Ursos, caniculos, simias, aliaque animalia magìs vanitati, quàm necessitati, vel utilitati subservientia nullatenus alant. n. 1.

19. *q.* 1. *C. Mollitiis Urbanus IV. In eum.*

Sellis vermiculatis, frenis pectoralibus & calcaribus superfluitatem præ se ferentibus, sicut & curiosis corrigiis nemo uti præsumat. n. 2.

Extra de vita & honest. Cler. C. Is Cler.

Violas, citharas, aliaque instrumenta per quæ curiositates & vanitates Religiosi notari possunt, nulli habere liceat. n. 3.

Clem. C. 1. *de Statu Monach.*

Musica ubi superflua vel noxia tollatur. n. 4.

13. *q.* 8. *C. Clerici & C. quicunque.*

Arma nisi pro gravi necessitate nullus gerat. n. 5.

Vena-

Venatio non tantùm clamoſa, ſed & omnis alia ſit prorſus interdicta. n. 6.

Extra de Clerico venat. C. Epiſcopum & C. Omnibus ſervis. Trid. Ss. 24. c. 12. de reform.

Caput 24. Nullus Religioſus nec Abbas in Baptiſmo infantem levet, nec in Confirmatione aſſiſtat.

Caput 28. Ordinis tribunal agnoſcendum & ad aliud non confugiendum. n. 1. & 2.

Caput 29. De Appellatione.

Appellatio ſit juſta, atque intra decem dies poſt latam ſententiam fiat, alioquin non admittatur. n. 2.

Appellantis ſcriptum ſigillo Abbatis & Conventûs muniatur, ipſéque Abbas ad ipſum, ad quem fuerit appellatum, tam citò quàm fieri poteſt, transmittat. n. 3.

Si à ſententia appelletur, acta prioris juſtitiæ una cum cauſis appellationis ad Judicem, ad quem eſt appellatum, transmittantur. n. 5.

Trid. Ss. 13. c. 3. de reformat.

Pendente appellatione nihil innovetur. n. 7.

Trid. Ss. 24. c. 10. de reform. Urb. IV. Cùm ex injuncto.

STA-

STATUTA

Quæ concernunt tantùm in clauſtro viventes.

Diſtinctio prima.

Caput 4. *De Divino Officio.*

Domine labia mea aperies &c. in matutinis & Deus in adjutorium &c. cum verſu Gloria Patri, &c. in initio omnium horarum graviter & lenté ſemper canatur n. 7.

Cum in horis canitur: Te Deum, Benedicitur, Magnificat, Alleluja cum verſu: Veni Sancte Spiritus, aut verſus Adjuva nos Deus, aut Evangelium, aut Gratias agamus, aut quandocunque inclinando aut genu flectendo per chorum aliquid canitur, vel legitur, nulli niſi ad pulſandum vel thurificandum licet ingredi chorum vel egredi. n. 8.

Tam in legendo,quàm cantando omnes ſimul incipiant, ſimul in medio verſûs reſpirent, ac ſimul finiant, ſítque pauſa notabilis. n. 9.

Verſum ſuum unus chorus non incipiat, antequam alius abſolvat, ac omnes ſyllabæ perfectâ eâdemque menſurâ ſive æquè tractim proferantur, nec ulla abſorbeantur. n. 10.

Trid. ſſ. 24. c. 12. de reform.

A divinis officiis absque expreſſa ejus, qui præeſt, licentia nemo ſe ſubtrahat. n. 13.
Conc. Mogunt. C. 57. *& Venet. C.* 14.

Caput 5. *De prima de miſſis poſt primam.*

Sub prima absque ejus, qui præeſt, licentia nullus celebret. n. 5.

Omnes antè Summum Sacrum Miſſas abſolvant. n. 6.

Caput 6. *De privatis confeſſionibus.*

Confeſſario Ordinis omnes in Monaſterio exiſtentes utantur. n. 17.
Trid. ſſ. 14. *c.* 7. *de Pœnit.*

Expoſiti cuicunque confiteri queant etiam conventuales in itinere conſtituti. n. 18.

Caput 7. *De Capitulo.*

Qui monetur vel corrigitur, prorsùs ſileat. n. 7.

Omnes Feriâ ſextâ in feſtum triplex vel duplex non incidente diſciplinam accipiant corporalem. n. 14.

Caput 8. *De diſtributione temporis.*

Veſperis peractis ad ſtudia vel obedientias revertantur usque ad cœnam, nec ullus ſine ejus, qui præeſt, licentia, dormitorium egrediatur. n. 15.

Semel de ſeptimana honeſtô aliquo corporali exercitiô recreentur Fratres, quod etiam ſecundò poteſt indulgeri. n. 16.

Horâ octavâ omnes ſine ulla exceptione ſe ad quietem recipiant. n. 23.

Caput 9. *De labore.*

Neque inter laborandum loqui præſumant, niſi neceſſitate compellente de ipſo labore breviter & ſubmiſsè. n. 8.

Caput 12. *De refectione.*

Facto pulſu pro refectione ablutis manibus ad locum ſtationum ſtatim omnes confluant & recollectioni vacent. n. 2.

Reſidente Conventu nullus, exceptô Abbate & iis, qui cum eo ſunt, ſine licentia refectorium ingrediatur vel egrediatur. n. 12.

Miniſtri in locis ſuis quietè ſub Benedictione perſiſtant. n. 15.

Is, qui apponit, & is, cui apponitur aliquid, mutuò ſibi inclinent. n. 20.

Si pro ratione neceſſitatis ultra communem cibum potumque alicui Fratri fuerit aliquid ſuperaddendum, hoc prius Præſidi præſentetur. n. 22.

Solus ille, qui Conventui præſidet, alicui aliquid mittendi habet facultatem. n. 23.

Miniſtro, quæ ſuperſunt, auferenti reverenter inclinet quisque Fratrum. n. 26.

Nullus cibum vel potum ex refectionum reliquiis auferre, vel ſibi reſervare, vel alicui ſine licentia dare præſumat, alioquin furti judicio condemnetur. n. 36.

Miniſtri poſt Conventûs refectionem ſumant ſuam, ſub quâ omni tempore juge ſilentium teneant. n. 37.

Jen-

Jentaculum, merenda, & omnis extrahoraria comeſtio & bibitio quâm ſtrictiſſimè interdicuntur. n. 40.

De Conſec. diſt. 5. c. Re tales. diſt. 53. c. Luxuria & ſeq.

In refectorio bibens ſcyphum duabus manibus teneat. n. 43.

Caput 13. De Dormitorio.

In Dormitorio omni tempore, maximè poſt completorium, quies & ſilentium ſtrictiſſimè ſerventur. n. 1.

Caput 6. Cum ad. de Statu Monach.

Nullus peſſulum intrinſecus oſtiis oppoſitum ullatenus habere permittatur. n. 4.

Alterius cellam exceptis officialibus, quibus hoc incumbit, nullus ingrediatur. n. 5.

Nullus excutiat in dormitorio vel cellis ſua veſtimenta, nec ſtrepitum excitet. n. 7.

Caput 14. De Officinis.

Refectorium, extra refectionum horas, cellariam & ~~colloquium~~ coquinam nullus, exceptis officialibus, abſque expreſſa licentia, ingrediatur. n. 1.

Auditorium, in quo Fratres cum Sæcularibus extraneíſque agunt, ſine licentia nullus unquam accedat. n. 3.

Supervenientibus fœminis, abſque licentia & alicujus à Priore deputandi præſentia, nec Sacerdotibus quidem loqui permittatur. n. 5.

Locutorium Fratres non intrent, niſi horis à Prælato conſtitutis. n. 7.

Neque infirmitorium. n. 8.

Caput 15. Majores domûs sunt:

Prior, Supprior, Circator, & Senior Conventûs.

Caput 22. De Itinerantibus.

Iter aggredientes antequam domo exeant à Prælato, vel eo absente, à Priore benedictionem accipiant. n. 1.

Domum de itinere reversi ante omnia Deo gratias acturi templum adeant, dein benedictionem à Superiore vel Præside accipiant. n. 16.

Pecuniæ, si quas habent, Provisori exteriorum, vel cui Prælatus jusserit, fideliter tradantur. n. 19.

Caput 23. De Infirmis.

Infirmi æstate surgant ad minùs horâ sextâ, hyeme horâ septimâ, & si sint plures, simul legant suas matutinas, quas tamen vesperi prævenire possunt. Lectô capitulô meditationi vacent, ac ad Missam vel dicendam vel audiendam se disponant. Tertiam & sextam eo tempore persolvant, quô regulariter in conventu dici solent.

Si sint satis robusti Missæ summæ intersint etiam horis, quæ eam immediatè præcedunt, & sequuntur. n. 18. 19. 20.

Circa idem tempus, quô Conventus & ipsi refectionem suam sumant, ac de rebus utilibus, ut sub ea loquantur, indulgetur, tamen

aliquid

aliquid ex Bibliis, vel alio libro ſpirituali, legatur in initio & fine refectionis. n. 21.

Horâ pro veſperis Conventûs deſignatâ legant & ipſi ſuas. Completorium poſt vel ante cœnam.

Supervenientibus amicis vel extraneis aliis quibuscunque, infirmi non loquantur, niſi de conſenſu Magiſtri, ac etiam Prioris, ſi fœmina ſit, idquè in auditorio. n. 25.

Diſtinctio ſecunda.

Caput 1. De Abbate.

Quocunque loco Fratres reſideant, etiam in Templo atque Capitulo, eo ſuperveniente, vel transeunte, ſurgant, & detectô capite inclinantes reverentiam exhibeant, nec reſideant, vel ſe tegant, quousque ipſe reſederit, vel ut ſedeant, ſeque tegant, juſſerit. n. 10.

Caput 19. De Veſtitu.

Quilibet Fratrum in cella ſua licitè habere queat duplex corporis indumentum tam internum quàm externum, ac etiam induſia duo, & pelliceum unum. n. 8.

Inſuper tot ſtragula, quot neceſſitas requirit, ſimiliter & pulvinaria ad caput linteô cooperta nec non auricularia non curioſa. n. 9.

Caputia, ubi anterior ſutura eſt, & pectus attingunt, latitudinem habeant ſex pollicum

à tergo ad ſonam ſive ad cingulum usque nec multò ultra protendatur. n. 17.

Exeuntes ſine pallio caputium ſuper ſcapulare gerant. n. 26.

Diſtinctione tertiâ de Culpis prætermiſsâ, ſequitur

Diſtinctio quarta.

Caput 23. De mulieribus etiam Monaſteriorum Fundatricibus excludendis à clauſtro. n. 2.

Clauſtri nomine intelliguntur: Dormitorium, Bibliotheca, Ambitus, Capitulum, Refectorium, Canonicorum Infirmitorium, hortus Conventualis tam extra quàm in ambitu conſtitutus, & loca his limitibus contenta, aliaque omnia, ad quæ Religioſis conventualibus omni tempore liber eſt acceſſus. n. 1.

Caput 24. Nullus Religioſus nec Abbas in Baptiſmo infantem levet, nec in confirmatione aſſiſtat.

STATUTA.

PRo Superioribus majoribus, item localibus tàm immediatis ſeu ordinariis quàm ſubordinatis, nec non pro Officialibus Conventûs, ac Paſtoribus, beneficiatísve, quibus Statutis pauca ex regula S. Auguſtini, vel Inſtitu-

ſtitutionibus S. Norberti, vel decretis Capitulorum Generalium adjunguntur, ut ſingulorum obligationes particulariter ſpecificentur.

Obligationes Vicarii Generalis.

1. Congregare Capitulum Provinciale ſingulis annis niſi ex juſta cauſa ſit differendum in ſecundum vel tertium annum ~~Cap. V. n. 9.~~ dist: 4. cap. 9. n. 1.

2. Cavere, nè ſtatuatur aliquid in Capitulis Provincialibus contra ſtatuta, & privilegia Ordinis, aut decreta Capitulorum Generalium. n. 1.

3. Mittere Capituli Provinc. Ordinationes ad Dominum Præmonſtratenſem, ut eas examinet & confirmet, antequam executioni mandentur. n. 6.

4. Publicare Ordinationes ejusmodi confirmatas. ibidem.

5. Gerere curam diligentem Circariæ. diſt. 4. cap. 15. n. 2.

6. Reddere rationem actorum Circariæ Domino Præmonſtratenſi. ibidem.

7. Viſitare Circariæ Eccleſias. cap. 15. n. 5.

Obligationes Visitatoris.

1. Visitare Circariam *Dist.* 4. *Cap.* 15. n. 5. ita ut ipse (quemadmodum Vicarius Generalis) omni triennio semel totam Circariam visitet etiam Monasterium Vicarii Generalis *Cap. G.* 1657.

2. Visitare Monasteria Circariæ ante proximum Capitulum Generale. *Dist.* 4. *Cap.* 15. n. 1.

3. Exigere juramentum à Religiosis in Visitatione. *Dist.* 4. *Cap.* 16. n. 1. & *Cap. Gen.* 1670. n. 1.

4. Interrogare juxta ea, quæ in statutis assignantur. *Dist.* 4. *Cap.* 16. & præprimis, an Prælatus, Prior, & alii Superiores obligationes suas observent.

5. Substituere aliquem in casu impedimenti legitimi, qui suo loco visitet. *Cap. G.* 1663. n. 1.

Obligationes Patris Abbatis.

1. Visitare filialem Ecclesiam. *Dist.* 4. *C.* 11. n. 5.

2. Reformare reformanda. n. 10.

3. Af-

3. Aſſignare diem electionis, dum vacat poſt mortem Abbatis filialis Eccleſia. *Diſt.* 4. *Cap.* 12.

4. Præſidere electioni. n. 6.

5. Adminiſtrare tàm in ſpiritualibus quàm temporalibus Eccleſias filiales vacantes per Officiales conſtituendos. *Gen. Cap.* 1657. & 1660.

Obligationes Abbatis ſeu Superioris Localis immediati.

Ex Regula.

1. Coram Deo ſubſtratum eſſe pedibus ſuorum ſubditorum.

2. Corripere inquietos, conſolari puſillanimes, ſuſcipere infirmos, patientem eſſe ad omnes.

Ejusdem Obligationes ex Inſtitutionibus Sti. Norberti.

3. Quotidiana in Capitulo & ubique emendatio per ſe vel per ſuos.

4. Quotidiana pauperum cura & hoſpitalitas.

5. Dare decimas de omni poſſeſſione ac oblatione Fratrum in uſus pauperum.

6. Comedere in communi refectorio, ac cubare in communi dormitorio.

Ejusdem

Obligationes ex ſtatutis communibus.

7. Locus, in quo Divinum Sacramentum aſſervatur, ſit nitidus, & quantum fieri poteſt, ſplendidus, diu noctúque ante ipſum Sacramentum lampas ardeat. *Diſt.* 1. *cap.* 1. *n.* 3.

8. Quæ de divino officio ſunt decreta, rigidè obſervari procuret. *Diſt.* 1. *cap.* 4. *n.* 15.

9. Prima ſicut & omnes reliquæ horæ Canonicæ ſemper cum cantu perſolvantur. *Diſt.* 1. *cap.* 5. *n.* 3.

10. Conſtituat in Eccleſia ſua Confeſſarios diſcretos & doctos. *Diſt.* 1. *cap.* 6. *n.* 7.

11. Quilibet Prælatus uni vel duobus largiatur à reſervatis abſolvendi facultatem. *ibidem* 14.

12. Rectorum aliquis quotidiè Capitulo præſit. *Diſt.* 1. *cap.* 8. *n.* 22.

13. Aſſumat virum doctum in lectorem, qui vel Theologiam, vel Philoſophiam, vel humaniores litteras doceat. *ibidem n.* 26.

14. Omni-

14. Omnibus diebus jejunii tria cocta pulmenta sive fercula, aliis autem diebus in singulis refectionibus duo ad minùs Fratribus administrentur. *Dist.* 1. *cap.* 11. *n.* 7.

15. Panis detur benè coctus & sanus, & potus ut sufficiat abundè necessitati, & omnem excessum excludat. *ibidem n.* 9.

16. Sub refectione continua habeatur lectio. *Dist.* 1. *cap.* 12. *n.* 17.

17. Ægrotantium cura alicui Fratrum demandetur. *Dist.* 1. *cap.* 23. *n.* 1.

18. Procurentur Medici & Chirurgi experti. *ibidem n.* 4.

19. Visitare infirmos. *ibidem. n.* 27.

20. Agnoscere suas obligationes. *Dist.* 2. *cap.* 2.

21. Residere ut gregi vigilanter intendere queat. *ibidem n.* 2.

22. Habere cum Priore aliisque Superioribus de suorum moribus, profectu atque defectu frequentes inquisitiones. *ibidem n.* 4.

23. Visitare sæpè filios suos, vel ad se vocare, ut eos in spiritu lenitatis instruat. *n.* 5.

24. Agnoscere vultum pectoris sui, & intima penetrare. *n.* 6.

25. Tradere vera dogmata, & vitæ perfectæ normam. *n.* 7.

26. Fundere preces ardentes ac Missæ Sacrificium offerre pro sua & subditorum salute. *n.* 8.

27. Assi-

27. Aſſiſtere morientibus & munire Sacramentis. *n.* 9.

28. Invigilare omni ſtudio, ut ordinis ſtatuta & alia decreta exactiſſimè ſerventur, *præcipuè quæ de ſilentio, jejuniis, capitulo culparum, meditatione, & aliis ſpiritualibus exercitiis ſancita ſunt.* n. 10.

29. Collapſa reformare ſciens, quod animam ſuam ſalvare non poſſit, niſi omnibus modis (quantum in ſe eſt) illud præſtiterit. *n.* 11.

30. Subducere ſe à nimia temporali occupatione. *cap.* 3. *n.* 10.

31. Cavere, ne quid in ſua totâ domo appareat, quod à ſancto paupertatis inſtituto ſit alienum, vel quod non ſimplicitatem ac contemptum vanitatum præ ſe ferat. *cap.* 4. *n.* 2.

32. Frequenter cum Conventu comedere. *n.*

33. In exitu ſemper (ſi commodè fieri poteſt) aſſumere vel converſum vel Canonicum. *cap.* 5. *n.* 3.

34. Tenere famulos in bona diſciplina. *n.* 5. 1. *q.* 7. *c. penult.* & *ult. Trid. Ss.* 2.

35. Impartiri in diverſos onus ſibi impoſitum. *cap.* 10. *n.* 1.

36. Vacare Orationi, dum aliquem ad curam animarum emittit, juxta exemplum Chriſti. *cap.* 23. *n.* 5.

37. Ire ad Capitulum Provinc. *Diſt.* 4. *c.* 9. Item ad Capitulum Generale ex Inſtit.

S.

S. Norberti, Decretis Pont. & Cap. Gen. 1660. *n.* 12.

38. Reddere rationes Conventui, si per se ipsum administraverit. *Cap. Gen.* 1657. *Ss.* 14.

Prohibentur.

39. Convivia admittere in Vestitione & Professione. *dist.* 1. *cap.* 17. atquè in primitiis. *cap.* 21. *n.* 17.

40. Infringere legem de duobus annis probationis. *dist.* 1. *cap.* 16. *n.* 14.

41. Accipere aliquid ex bonis Novitiorum ante professionem, exceptô victu & vestitu tempore novitiatûs.

Trid. Ss. 25. *c.* 16. *de regul. Ibidem n.* 21.

42. Concedere testimoniales litteras de promissa receptione vel facta professione. *ibidem.* n. 24.

43. Ne permittatur, ut mulieres intrent ad claustrum, & quidem prohibetur sub gravi pœna. *dist.* 4. *c.* 23.

44. Abalienare bona Monasterii. *ibid. c.*30.

44. Construere ædificia sumptuosa absque consensu Patris Abbatis vel Vicarii Generalis. *ibidem n.* 19.

46. Concedere bona sive mobilia, sive immobilia suis consanguineis sive egenis, sive non egenis. *ibidem n.* 22.

47. Fide

47. Fide jubere pro aliquo, qui non eſt Ordinis noſtri. *Ibidem cap.* 31. n. 1.

Cauſ. Apoſt. 19. *vel* 20. *Clericus qui*

48. Mutuum contrahere notabile ſine conſenſu Prioris, Supprioris & aliquorum Seniorum domûs. *n.* 3. ac etiam Patrum Abbatum. *ibidem.*

49. Suſcipere depoſitum ſinè teſtimonio duorum vel trium Seniorum domûs. *n.* 4.

Obligationes Prioris.

1. Procurare omni ſtudio, ub obſerventur regulæ & ſtatuta. *Diſt.* 2. *cap.* 10.

2. Scrutari ſingulorum cubicula.

3. In concedendo & procurando, quod Fratres pro ſuis neceſſitatibus poſtulant, ut ſit benignus & facilis.

4. Præſidere quotidiano Capitulo, ſi Abbas non præſideat.

5. Habere curam laboris, & procurare inſtrumenta pro eo. *Diſt.* 1. *cap.* 9.

6. Habere curam Abbatis infirmi & maximè morientis. *Diſt.* 2. *cap.* 4.

7. Com-

7. Complere officium chori & Miſſam ſummam celebrare in duplicibus & triplicibus tertiæ claſſis, exceptis majoribus in ordinario *cap.* 7. ſpecificatis,

8. Abſente Abbate etiam in triplici primæ & ſecundæ claſſis officium habere, immò omnium curam gerere. *Diſt.* 2. *cap.* 5. *n.* 2.

9. Prohibetur ſe abſentare à templo, menſa, alliiſque conventualibus exercitiis, niſi juſta ſubſiſtente cauſa. *Diſt.* 2. *cap.* 10.

Item nimiùm occupari circa exteriora. *Ibidem n.* 15. Prioris in Monaſteriis commendatis Obligationes eædem ſunt, quæ Abbatis regularis. Cap. Gen. 1663. & 1670.

Obligationes Supprioris.

Excitare Fratres in choro, ut ordinatè ſtent vel ſedeant, & ea, quæ ad cantorem & ſacriſtam pertinent, cùm neceſſe, corrigere & emendare. *Diſt.* 2. *cap.* 11.

2. Procurare, ut ubique Fratres etiam extra clauſtrum ſe ordinatè habeant.

3. Abſente Abbate & Priore præſidere menſæ, & Capitulo quotidiano caſtigare occur-

occurrentia errata, & ſupplere Prioris officium, abſente Priore.

Obligationes Circatoris.

1. Circuire officinas horis conſtitutis. *Diſt.* 2. *c.* 12.

2. Facere primas in Capitulo proclamationes.

3. Videre ubi ſint, ſi qui in officio Divino, vel horâ laboris aut lectionis abſunt, & procurare, ut ſinè mora compareant.

4. Poſt offertorium exire, ac videre, an Fratres in officinis religioſe ſe habeant.

5. Cuſtodire claves portæ.

6. Complere omnia in abſentia Superiorum aliorum, etiam præſidere menſæ & Capitulo quotidiano.

Obli-

Obligationes Magiſtri Novitiorum.

1. Inſtituere Novitios in Monaſtica diſciplina & ritibus. *Diſt.* 1. *cap.* 19.

2. Caſtigare eorum errata.

3. Jubere, ut nonnunquam à ſingulis Fratribus, & maximè à Senioribus, veniam & orationis ſuffragium petant.

4. Exhibere ſe reverenter amabilem.

5. Procurare Novitiis neceſſaria.

6. Habere deſcriptum diem veſtitionis Novitiorum.

7. Ducere Novitios ad concionem.

8. Audire Confeſſionem eorum.

9. Docere eos, quæ ſpecificantur. *Diſt.* 1. *c.* 20. *n.* 3. 6. 7. 9. 11. 13. 15. 17. 20. 21.

10. Exequi quæ ſtatuta. *C.* 20. *n.* 2. 8. notantur.

Obligationes Cantoris & Succentoris. *Diſt.* 2. *cap.* 13.

1. Excitare Fratres ad cantandum.

2. Corrigere corrigenda in libris chori.

3. Recitare obitus Fratrum defunctorum & diem tertiam, ſeptimam, trigeſimam ac primum anniverſarium in Capitulo.

4. Curare, ut mittantur Brevia pro defunctis, & allata legere in Capitulo.

5. Ponere in Kalendario mortuorum Fratrum nomina, cognomina, officia & qualitates.

Obligationes Bibliothecarii.

1. Bibliothecam & libros mundare, & excutere pulveres ſingulis ad minùs quindenis ſemel. *Diſt.* 2. *cap.* 14.

2. Habere librorum Catalogum.

3. Habere indicem librorum prohibitorum.

4. Nemini abſque Abbatis licentia dare aut commodare librum aliquem.

Obligationes Sacristæ.

1. Habere curam horologii, lampadis, Ecclesiæ & dormitorii. *Dist. 2. cap. 15.*

2. Ostia Ecclesiæ aperire & claudere.

3. Advigilare, ut ad horas canonicas constitutis pulsetur temporibus.

4. Præparare, quæ sunt benedicenda.

5. Mutare Ecclesiæ utensilia sæpius, ne sordida sint.

6. Abluere corporalia, purificatoria, antequam lavanda tradat, & fundere aquam in piscinam Ecclesiæ. *De Consecr. Dist. 1. c. Nemo. & Dist. 4. c. Presbyt.*

7. Hostias pro Missæ Sacrificio in loco mundo & cum reverentia parare, ac in nitido repositorio conservare.

8. Providere studiosè, ut Ecclesia & altaria singulari niteant munditiâ, & parietes singulis annis purgentur à pulveribus.

9. Mutare Corpus Dominicum in ciborio repositum singulis quindenis. *De Consecr. Dist. 1. c. Quam bene.*

10. Oleum antiquum infirmorum in Paschate novô procuratô comburere. *De Consecr. Dist. 3. c. Litteris vestris.*

11. Habere indicem sibi commissorum.

Obligationes Proviſoris Exteriorum.

1. Providere exteriora, villas circuire, animalium numerum ſcriptum habere, ea nonnunquam renumerare. *Diſt.* 2. *c.* 16.

De reparationibus Abbatem monere, poſt collectas meſſes inveſtigare, an totius anni ſumptus annona ſufficiat, & hoc indicare Abbati, attendere, quæ pro temporis ratione ſint emenda, vendenda, & mutanda.

2. Nihil de ſe, & per ſe præſumere, ſed omnia ordinatione Abbatis fiant.

3. Tradere ſtatim Abbati, quidquid in numerata pecunia recipit.

4. Reddere computum ſingulis annis.

5. Nullam prætendere mercedem.

6. Quæ de meditationibus, & examinibus præſcripta Fratribus, quantum poſſunt, obſervare.

Obligationes Cellarii.

1. Procurare neceſſaria pro cibo, potuque.

2. Præparare panem & potum, ne Conventus

ventus ad momentum exſpectare cogatur. *Diſt.* 2. *c.* 17.

3. Venire ad culinam circà refectionis horam, & videre, an cibi ſint bene cocti, 12. *q.* 1. *c. Res & duobus ſeq.*

4. Reddere computum de iis, quæ ex hortis & aliis receperit.

Obligationes Veſtiarii.

1. Habere curam ſutorum, & ſartorum. *Diſt.* 2. *cap.* 18.

2. Diſtribuere Fratribus neceſſaria.

3. Advigilare magnâ curâ, ut veſtitûs forma ab Ordine præſcripta ſervetur.

4. Diſtribuere linea ſingulis Sabbathinis diebus antè cœnam munda, & Feriâ ſecundâ colligere immunda.

5. Largiri Fratribus laneamina vel lineamina munda æſtivo tempore ſingulis quindenis, hyemali verò ſingulis menſibus.

6. Notare induſia ſingularibus ſignis, ut non permiſceantur.

Obligationes Fratris Hoſpitalis.

1. Satisfacere hoſpitum neceſſitati. *Diſt.* 2. *c.* 20.

2. Ordinare, quid comedent, & ubi dormient.

3. Gerere curam hoſpitii, pro hoſpitibus infirmis.

Obligationes Portarii.

1. Portam bene clauſam ſervare. *Diſt.* 2. *c.* 22.

2. Non admittere quemcunque peregrinum & ignotum, niſi conſenſu Superioris.

3. Claudere portam ſerâ nocturnâ, pulſu ad prandium dato, & claves ad Abbatem ferre, quod etiam veſperi faciendum clausâ portâ.

Obligationes Paſtoris
ex Diſt. 2. cap. 23.

Juramentum præſtet, quod quandocunque vel quotiescunque Abbati, vel Vicario, vel Viſitatori neceſſarium vel expediens viſum fuerit, ad Monaſterium ſuum revertetur. *Diſt. 2. c.* 23.

Socium ſibi ex Confratribus junctum habeant, quorum proventus ad hoc ſufficiunt. n. 13. *Ecclef.* 4. *De vita & honeſtate Cler. C.* 3. *ut quisquis. & C.* 2. *&* 5. *de Statu Monachorum.*

Habitum ſuum Religioſum ſecundùm formam Ordinis, *Diſt.* 2. *cap.* 19. præſcriptum ubique & ſemper deferant. n. 15.

Quæ de raſura coronæ & barbæ ſunt conſtituta, exacte obſervent. n. 18.

Singulis annis per tres ad minus dies in proprio Monaſterio, vel alio loco per Prælatum deſignando in ſpiritualibus exercitiis toti verſentur. n. 19.

Pagorum ſuorum regimini ſæculari ſe non immiſceant, niſi à ſuis ſubditis requiſiti et neceſſitate vel evidenti utilitate poſtulante petito & obtento deſuper conſenſu Prælati. n. 20. *C. Multa ſunt. tit. ne Clerici vel Monachi.*

Nulla notabilia dona absque Prælatorum suorum consensu largiantur. n. 24.

Singulis annis omnium rerum, quarum habent usum, computum fideliter reddant. n. 25.

In Festo S. Patris nostri Norberti conveniant in Monasterio suo summæ Missæ & Vesperis ibidem intersint, ac postridiè supra dictos computus Superiori suo tradant. n. 26.

Locum residentiæ suæ non exeant sine manifesta necessitate. n. 30.

Parentes vel amicos duobus milliaribus ab ipsorum residentia distantes absque Prælatorum suorum consensu visitare non præsumant. n. 33.

Puerperia, civitatum vel pagorum dedicationes, aut publica Fraternitatum vel Sodalitatum convivia, absque Abbatum suorum expressa licentia, nulli adeant. n. 34. *De Consecr. Dist.* 5. *c. Non opus. & Dist.* 34. *c. Presbyter.*

Publicas tabernas multò minùs adeant, nisi in via constituti. n. 35. *Dist.* 44. *c. Non oportet. & seq.*

EXTRACTUS ALPHABETICUS

DECRETORUM GENERALIUM CAPITULORUM POST RENOVATA STATUTA CELEBRATORUM.

Annô 1633. Præmonſtrati ſub Petro Goſſetio
1639. Præmonſtrati ſub ✠
1657. Præmonſtrati ſub Aug. le Scellier
1660. Præmonſtrati ſub Eodem
1663. Præmonſtrati ſub Eodem
1666. Præmonſtrati ſub Eodem
1670. Præmonſtrati ſub Mich. Colbert
1686. Præmonſtrati ſub Eodem
1717. Ptæmonſtrati ſub Hon. Lucas
1738. Præmonſtrati ſub Eodem.

COnceſſit Julius II. Pontifex Maximus, quemadmodum Alexander VI. Ejus Prædeceſſor, Capitulo Generali Ordinis noſtri Præmonſtratenſis poteſtatem omnimodam moderandi, interpretandi, limitandi, minuendi, etiam in totum annullandi antiqua Statuta & conſuetudines Ordnis noſtri, illísque addendi, ac nova, toties quoties opus fuerit, condendi, ordinandi atque promulgandi, dummodo ordinationes, & Statuta prædicta à ſacris Canonibus non devient; mandavit

quoque, ut quidquid ſemel ſtatutum Capitulariter fuerit, id *perpetuo & inviolabiliter* ſervetur, & non immutetur, niſi per ſimile Generale Capitulum, aut Abbates & Prælatos illud repræſentantes.

A Sacris Canonibus minimè deviare prædicta Decreta, neque Conciliis eſſe contraria, diſquirenti patebit, omnia enim & ſingula rationum pondere ſunt trutinata, & reperta obſervatu poſſibilia volenti, facilia amanti, & quamvis illa vim legis accipiant ex trium Capitulorum confirmatione juxta Statutorum diſtinctionem 4. c. 6. n. 4. tamen, quæ ſemel in Capitulo Generali ordinata, tam Prælati quàm ſubditi inviolabiliter obſervare obſtringuntur, ideóque omnibus illa communicari jubet Capitulum Generale anni 1657. Ss. 26.; ſed tamen ea, quæ circa lites terminandas fuerunt definita, ne ulterioribus præbeant fomitem, hìc ex cautela non referuntur, & ad diſciplinæ vigorem conducentia potiſſimùm adducuntur ad mentem præfati Capituli Generalis jubentis, ut decreta omnibus communia communicentur.

DECRETA
CAPITULORUM GENERALIUM

Ab anno 1630. quô Ordinis Statuta ſunt renovata, publicata & ab univerſo Ordine

ne recepta, usque ad annum currentem 1742. celebratorum.

A.

ABbates omnes & singuli tenentur venire ad Capitulum Generale ex Decreto Capituli Generalis anni 1657. anni 1660. anni 1663. Ss. 15.

Habent vocem decisivam. Capit. Gen. an. 1657. & anni 1660. Ss. 3. & an. 1663.

Possunt suos Religiosos ad beneficia regularia exponere. Cap. Gen. an. 1717. Ss. 5.

Non petant confirmationem suam à Diœcesanis, sed à Domino Præmonstratensi, Patre Abbate, Vicario Generali, contrafacientes ipsô factô priventur jure per electionem acquisitô. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 15.

Possunt incarcerare ad aliquot annos vel menses eos, qui aliter corrigi non possunt. Cap. Gen. an. 1663. Ss. 12.

Debent Conventui rationes reddere non minùs quàm Officiales, si per se administraverint. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 14.

Abbatem deponere non potest Pater Abbas, sed Illustrissimus D. Generalis & Ejus Vicarius. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 9.

Abbatem, nec quandoque dispensare posse in esu carnium quò ad Conventum in Adventu vel Septuagesima, definivit Capitulum Gen. an. 1666. Ss. 5. & an. 1738. Ss. 7.

Ab-

Abbatibus prohibetur abſentatio à Monaſterio ad quindenam, vel menſem, ſine licentia Patris Abbatis, vel Vicarii Generalis. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 7.

De Abbatis electione plura ſunt ordinata in Capitulo Generali, an. 1663. Ss. 12.

Abbatia noviter ex Præpoſitura evecta præcedit Eccleſiæ à Præpoſito gubernatæ. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 15.

Abbate mortuo ſigillum ad Patrem Abbatem, vel ſi longè diſſitus, ad Vicarium Generalem Provinciæ ſeu Circariæ mittatur. Cap. Gen. an. 1663. Ss. 9.

Abbate mortuo quid faciendum ratione adminiſtrationis, & quòd ea ſit penes Patrem Abbatem, definitum eſt in Capitulo Gen. an. 1657. an. 1660. & enucleatiùs in Cap. Gen. an. 1663. Ss. 9.

Abſolutionem caſuum reſervatorum reſpectu Religioſorum noſtri Ordinis Præmonſtratenſis non poſſe validè fieri à mendicantibus etiam privilegiatis, quando ſine licentia confitentur, declaravit Capitulum Gen. an. 1660. Ss. 7.

Abſtinentia, temporibus in Bulla Julii II. expreſſis, ut obſervetur exactiſſimè ab omnibus intus & forìs, mandat Capitulum Gen. an. 1686. Ss. 13. & hujus obſervantiæ causâ idem præcipit, ne Superiores exire permittant religioſos ſuos per Adventum & Septuageſimam absque gravi neceſſitate.

Ad-

Adminiſtrationem in temporalibus & ſpiritualibus habent Patres Abbates vacantibus Eccleſiis filialibus, qui tamen Priori, Suppriori atque Proviſori eam committant. Cap. Gen. an. 1663. Ss. 9.

Adminiſtratio autem in ſpiritualibus Eccleſiæ Præmonſtratenſis vacantis eſt penes Priorem loci. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 21. & Cap. Gen. an. 1663. Ss. 9.

Alienationes non poſſunt fieri ſine licentia Patris Abbatis. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 27.

In Alienatione bonorum immobilium ſolos Sacerdotes & in ſacris ordinibus initiatos habere vocem. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 10.

Almutia ſint alba. Cap. Gen. an. 1647. Ss. 12. geſtantur ſecundùm conſuetudinem Patriæ. Ibidem, & Cap. Gen. an. 1670. Ss. 4. & à Paſchate usque ad feſtum omnium Sanctorum omnibus diebus Dominicis & Feſtivis in utrisque Veſperis & Miſſa. Cap. Gen. an. 1666. Ss. 5.

Sed in omnibus Galliæ Monaſteriis quotidie ſub officiis divinis primam immediatè ſequentibus, & Veſperis à Paſchate usque ad Feſtum omnium Sanctorum. Cap. Gen. an. 1717. & an. 1738. Ss. 12.

Sub Antiphona: Da pacem Domine, & Angelica ſalutatione ad pulſum tempore Paſchali, & ſingulis Sabbati, & Dominicis diebus per annum in memoriam Reſurrectionis Dominicæ non flectantur genua. Cap. Gen. an. 1717. Ss. 4.

An-

Antiquitas Monasterii non respicit fundationem, sed quando ad Ordinem accessit. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 13.

Appellatio fieri potest ad Illustrissimum D. Generalem de lata sententia à Vicario Generali. Cap. Gen. an. 1686. Ss. 14.

Item de Decretis Illustrissimi D. Generalis ad Capitulum Generale, vel si illud expectari non potest, ad eos, qui pro ea excipienda assignati sunt. Cap. Gen. an. 1686. Ss. 15.

B.

BArba singulis octiduis tondenda. Cap. Gen. an. 1717. Ss. 8.

Benedici posse Abbates ab Illustrissimo D. Generali & Vicariis Provinciarum, sicuti Cistercienses, supplicavit Summo Pontifici Capitulum Generale an. 1663. Ss. 4.

Beneficia impetrandi facultas â proprio Superiore concessa sufficit. Cap. Gen. an. 1657. an. 1660. an. 1663.

In Beneficia regularia sua posse Abbates exponere religiosos suos. Cap. Gen. an. 1717.

Be-

Beneficium impetrans, accipiens, possidens ante licentiam in scriptis obtentam inhabilis fit ad quæcunque regularia beneficia. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 6. an. 1660. Ss. 6. an. 1663. an. 1666. an. 1670. Ss. 7. an. 1686. Ss. 14.

Beneficiati delinquentes debere corrigi à Superiore Monasterii professionis; si monitus neglexerit, à Superiore Monasterii, à quo pendet beneficium. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 7.

Beneficiati ex communi Monasteriorum suorum cellario & vestiario sustentati proventus suos omnes officialibus tradant, etiam beneficio simplici gaudentes. Cap. Gen. an. 1666. Ss. 7.

in Bibliotheca Præmonstratensi P. Joannis le Paige reprobata sunt, quæ habentur librô 4. pag. 859. & ea emendari jubentur à Capitulo Gen. an. 1660. Ss. 7.

Bona immobilia alienandi, permutandi & oppignorandi licentiam dare nequit Capitulum Communitatis antiqui rigoris. Cap. Gen. an. 1657.

Byretorum nigrorum usus inhibetur curatis in Cap. Gen. an. 1657. Ss. 19.

Byreta cerulea non habeant Doctores, nisi dum ex suggestu ad populum concionem habuerint, vel actibus Academicis, seu Comitiis generalibus vel provincialibus interfuerint. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 16.

Byretis quadratis per diem tam in Ecclesia quàm in domo utentur Canonici nostri etiam antiqu.

antiqui rigoris. Cap. Gen. an. 1717. Ss. 4. & an. 1738. Ss. 12.

C.

CAlanticis albis non alterius coloris utendum decrevit Capitulum Gen. an. 1657. verùm hoc decretum correxerunt Capitula Generalia anni 1717. & anni 1738. Ss. 12. per aliud, ut omnes etiam ſtrictioris obſervantiæ profeſſi pileos nigros gerant.

Capillitium ad mediam aurem poſſe deſcendere, ſed non inferiùs, permiſit Capitulum Gen. 1686. Ss. 11.

Capitulorum Generalium decreta omnibus communia omnibus communicentur. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 26.

Capitulo Generali proponendæ difficultates ſex menſibus antè ad D. Præmonſtratenſem mittantur. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 21. & proponendas eſſe primò eas, quas Rmus D. Generalis diſpoſuit. Ibidem.

Capitulum Generale quatuor tantùm diebus

bus celebrandum, quæ inter 4 dies non poſſunt tractari, tractentur per deputatos à Capitulo eodem Generali. Cap. Gen. an. 1686. Ss. 15.

ad Capitulum Generale tenentur venire omnes & ſinguli Abbates. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 12.

Item Priores commendatorum Monaſteriorum etiam antiqui rigoris. Idem. Ss. 9.

à Capitulo Generali ſunt excludendi particulares religioſi, niſi ſint deputati. Idem. Ss. 1.

ad Capitulum Generale deputati erunt liberi ab itineris expenſis in Circaria colligendis. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 19.

Capitulum Provinciale ſingulis trienniis ad minùs inſtituatur. Cap. Gen. an. 1717. Ss. 2.

Ad illud vocandi ſunt etiam Priores clauſtrales. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 6. an. 1663. Ss. 10.

Capitula Circariæ Bohemiæ ab anno 1680. usque ad annum 1733. celebrata ſunt confirmata à Capitulo Gen. an. 1738. Ss. 4.

Caputium in conventu ſemper geratur. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 6.

Caputium gerant viatores non gerentes pallium. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 6.

Carcerem ſaltem unum habeant ſingulæ Circariæ. Cap. Gen. an. 1717. Ss. 4.

Carceris pœnam poſſunt ad aliquos menſes Religioſis infligere ſeu ſequeſtare illos Abba-

tes, etiam Priores in Monaſteriis commendatis. Cap. Gen. an. 1663. Ss. 12.

Catechizandi munus cuilibet poteſt Prælatus injungere. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 17.

Cellæ religioſorum ſeris claudantur, ita tamen, ut Superior clavem generalem habeat. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 13. & an. 1633. Ss. 4.

Cingula pileorum vanitatem omnem excludant. Cap. Gen. an. 1686. Ss. 11.

Circator Capituli Generalis advertat omnes, an in veſte, colore, collari, caputio ſint conformes ſtatutis, ſi non ſint, emendari procuret. Cap. Gen. an. 1666. Ss. 9.

Circator conventualis ſuum retinet ſtallum, in capitulo autem & in refectorio præſidens ad Prioris vel Supprioris pergit locum. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 9. & 1717.

Circator poteſt in capitulo pœnitentias imponere abſentibus aliis Superioribus. Cap. Gen. 1717. Ss. 11.

Circator conventûs non poteſt ſub prætextu, quòd inter Superiores computetur, aliorum cubicula intrare, niſi in aliorum Superiorum abſentia. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 17.

de Clauſtro qui exit ad breve tempus, ſcilicet ad horam aut circiter, puniendus non ut fugitivus, ſed pœna eſt duplicanda, quæ in ſtatutis, diſt. 3. c. 2. n. 12. præſcripta. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 7.

Colloquium de regimine temporalium, quod

quod murmur ſapit Præſes vel Senior audiens ſilentium imponat. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 6.

Commendatariis porta eſt deneganda ad loca regularium. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 3.

Complicem ſuum cujuscunque ſexûs non poteſt Confeſſarius abſolvere, alii Confeſſarii poſſunt. Cap. Gen. an. 1670. & an. 1717. Ss. 9.

Computuum redditio pendebit à diſcretione Abbatis, tamen juxta ſtatuta ſingulis annis reddatur. Cap. Gen. an. 1663. Ss. 8.

Computus temporalium ſoli Patri Abbati viſitanti exhiberi debet. Cap. Gen. 1660. Ss. 5. Viſitatoribus ordinariis & Vicariis non exhibetur, niſi habeant ſpecialem commiſſionem. Cap. Gen. an. 1663. Ss. 15.

Concionari nullus audet ſinè licentia Superioris. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 17.

Confeſſarii deputari poſſunt Paſtoribus diſtantibus decem milliaribus, ut in paſtoratibus circa Paſcha præcepto ſatisfaciant Confeſſionis annuæ & communionis Paſchalis juxta ſtatuta, diſt. 1. c. 6. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 7.

Confeſſarium monialium ex Monaſterio Patris Abbatis non tenentur aſſumere Præpoſiti monialium veri Prælati. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 9.

Confirmationem Abbas electus non petat ab alio quàm à ſuo Patre Abbate, & eô deficiente

ciente à R. D. Generali. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 15.

Confitentes casibus reservatis irretiti non validè absolvuntur à mendicantibus religiosis, neque ab aliis juxta Breve Urbani VIII. Cap. Gen. an. 1660.

Consanguinei in primo & secundo gradu non recipiantur duo in domo, ubi octonarius numerus religiosorum; ubi autem numerô plures sunt religiosi, ibi possunt suscipi. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 16. & an. 1663.

Consensus Capituli requiritur, ut quis admittatur ad perpetuò convivendum, licèt velit fieri donatus. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 10.

Consignationem non dantes Pastores singulis annis cogendi sunt & puniendi juxta statuta. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 7.

Consilium: per hanc particulam intelligitur, quòd debeat peti consilium. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 16.

Conversorum vestium mensura sit trium digitorum super cavillam pedis. Cap. Gen. an. 1663.

Credo non est in omni triplici cantandum, nisi ordinarius vel Missale præscribat. Cap. Gen. 1670. Ss. 8.

Credo dicendum in festo S. Joannis Baptistæ,

ſtæ, per octavam V. Sacramenti. Cap. Gen. an. 1663.

Curam Parochialem poteſt Supprior adminiſtrare, ſed tamen Monaſterio vicinam. Cap. Gen. 1660.

D.

DEambulatio annuè concedenda religioſis ſuo officio bene fungentibus. Cap. Gen. an. 1717. Ss. 8.

Deambulatio ad quindenam Abbatibus & Prioribus Monaſteriorum commendatorum interdicta à Capitulo Gen. an. 1670. Ss. 7.

Debita contrahentes Paſtores notabilia, ſi moniti non ſolvant, ſunt puniendi conformiter ad ſtatuta. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 7. ſi contingat talem mori, non tenetur Monaſterium ſolvere. Ibidem.

Debitorum ſumma notabilis cenſetur, quæ excedit valorem mobilium, & mediam partem proventûs ſui anni. Idem ibidem.

Decanis ruralibus aliquid ſolvere non tenen-

nentur Præmonſtratenſes, quando Paſtores regulares moriuntur in Paſtoratibus ſuis. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 7.

Decanis prætendentibus in deceſſu Paſtoris noſtri inhumationem illius, reſiſtendum eſt eis. Cap. Gen. an. 1717.

Decreta Capitulorum communia omnibus ſunt communicanda. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 26.

In Definitores non qui antiquioris Monaſterii, ſed qui prudentiores, ſunt eligendi. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 26.

In Definitores poſſunt aſſumi Priores Monaſteriorum commendatorum, & deputati Procuratores Provinciarum, & ſedere poſt Abbates. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 4. ita tamen ut eorum numerus non excedat quartam partem Abbatum. Ibidem.

Definitores Capituli Generalis non eliguntur, ſed à R. D. Generali aſſumuntur de conſilio trium Patrum Abbatum, aut Seniorum neque alios aſſumi, niſi qui dignitate, doctrinâ, & pietate præ cæteris pollent inter Abbates, & defectu Abbatum inter Priores clauſtrales, modô dictorum Priorum numerus non excedat partem Definitorum. Cap. Gen. 1686. Ss. 3.

In Definitionibus non tam multitudo vocum & æqualitas, ſed pondus rationis attendenda. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 26.

Defunctorum vigiliæ recitari poſſunt in qua-

quadragesima per quatuor Canonicos à Superiore deputandos. Cap. Gen. an. 1657. & 1717. Ss. 5.

pro Defunctis non debent differri servitia ultra triginta dies non obstante festo novem lectionum tantùm. Cap. Gen. an. 1738. Ss. 8.

Defuncti unam tantùm Missam in eadem Circaria obtineant. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 16.

pro Defuncto Generali Ordinis nostri servitium solemne in omnibus Ordinis Ecclesiis per ipsum Abbatem faciendum, & Missas duas à quolibet sacerdote persolvendas statuit Cap. Gen. an. 1738. Ss. 5.

Deputati procuratores provinciarum ad Capitulum Generale in definitores possunt assumi. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 4.

Dispensare non potest Abbas in carnium abstinentia pro toto conventu tempore Adventûs & Septuagesimæ. Cap. Gen. an. 1666. & an. 1738. Ss. 7.

Neque diebus Mercurii & tribus ante Cineres, possunt autem Vicarii Gener. ex gravi & justa causa. Cap. Gen. an. 1660. Item an. 1666. Ss. 5.

Doctores non esse aliquo honoris privilegio donandos. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 7. possunt uti byretis violacei coloris, dum actum agent publicum. Idem. Ss. 15.

Doctores habent vocem consultativam in omnibus sessionibus. Idem Ss. 2. & 3.

Documenta ad alia Monasteria spectantia

extradi jubet ſub pœna excommunicationis. Capitulum Gen. an. 1657. Ss. 11.

Documenta Monaſteriorum ſub triplici clavi cuſtodiantur. Cap. Gen. an. 1633.

Dominos ſe invicem appellare ſub privatione vini ad refectionem toties, quoties per ſimiles mundanas appellationes contravenerint, prohibuit Capitulum Gen. an. 1686. Ss. 11.

Dominus vocari debet ſolus Abbas. Idem ibidem.

Dona notabilia pecuniaria nec Paſtores, nec Abbates parentibus dare poſſunt. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 7.

E.

in ELectione Pater Abbas præſidens vocem activam non habet. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 10.

in Electione novi Abbatis, quando nullus eſt Pater Abbas recurrendum eſt ad Vicarium Generalem Circariæ. Cap. Gen. an. 1663. Ss. 12.

in

in Electione Abbatum & alienatione bonorum mobilium ſolos Sacerdotes, & ſacris ordinibus initiatos poſſe vocem dare. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 10. & an. 1717. Ss. 2.

in Electione ſi idoneus reperiatur in Monaſterio ad Prælaturam, is non poteſt excludi ex eo, quòd alibi reperiatur aliquis magis idoneus. Cap. Gen. an. 1663.

ante Electionem Prælatorum ſcrutinium non poteſt eſſe inutile. Cap. Gen. an. 1663.

pro Electione ſi expectari nequeat Pater Abbas, vocari debet Vicarius Generalis, & eo nolente vocetur Prælatus vicinior. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 10.

ſi Electum reprobat Pater Abbas, tenetur dicere cauſas, quæ ipſum movent. Cap. Gen. an. 1663.

Exercitia faciant Paſtores ſingulis annis. Cap. Gen. an. 1717. Ss. 8. an. 1738. Ss. 3.

Exercitia facere in paſtoratibus non ſufficit. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 7.

Exercitia dicta ſpiritualia non ſervantes triduô ſive Paſtores ſive alii expoſiti puniantur jejuniô unius diei in pane & aqua. Idem ibidem.

Exeuntes extra Monaſterium, per horam aut circiter, ſine licentia non ut fugitivi plectendi ſunt, ſed duplicanda eſt pœna in ſtatutis, diſt. 3. c. 2. n. 19. contenta. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 7.

Exeuntes in pleno ſint habitu. Cap. Gen. an. 1660.

Exeuntes Monaſterium non obtentâ licentiâ etiam prætextu adeundi R. D. Generalem, ut fugitivi habeantur. Cap. Gen. an. 1686. Ss. 12.

F.

FEſtorum elevatio Aſſumptionis B. V. Patroni Eccleſiæ principalis, Dedicationis, & omnium Sanctorum, item S. Auguſtini principale ad Triplicis primam claſſem. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 7.

Nativitatis B. V. in ſecundam claſſem Triplicis. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 3.

Reliquiarum notabilium in Triplex minus. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 8.

Feſtum Conceptionis cum octava celebrandum. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 3.

Converſionis S. Auguſtini 5. Maij ſub ritu duplicis. Cap. Gen. 1686. Ss. 11.

Ss. Adriani & Jacobi nonâ Julij more duplicis majoris. Cap. Gen. an. 1686. Ss. 11.

S.

S. Gilberti Breviario inſerendum. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 13.

Transferendum in 24. Octobris. Cap. Gen. an. 1738. Ss. 8.

Feſta Beatorum Ordinis Præmonſtr. ſub ritu duplicis majoris celebranda. Cap. Gen. an. 1738. Ss. 8.

Feſta Sanctorum in proprio libello Circariæ Bohemiæ pro eadem Circaria approbavit. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 9.

Feſtum dolorum B. V. permodum triplicis ſecundæ claſſis in toto Ordine celebrandum. Cap. Gen. an. 1738. Ss. 5.

Feſtum Roſarii B. V. ſub ritu duplicis majoris Dominicâ primâ Octobris ſervandum. Cap. Gen. an. 1738. Ss. 8.

Feſtum S. Franciſci Saleſii, item S. Petri Nolaſci per omnes Ordinis Eccleſias cum novem lectionibus celebrari voluit Capitulum Gener. an. 1666. Ss. 4.

Feſta SS. Apoſtolorum & Evangeliſtarum ad ordinem majorum duplicium evexit Capitulum Gen. an. 1738. Ss. 8.

Feſta occurrentia infra octavam feſti SS. Corporis Chriſti debent transferri vel præveniri ex decreto Capituli Generalis an. 1670. Ss. 8. (*ſecundùm rubricam Breviarii non comprehenduntur hìc duplicia vel his majora*)

Feſta B. V. Immaculatæ Conceptionis, & Purificationis, & Annunciationis ad ſecundam claſ-

classem Triplicis evexit Capitulum Gen. an. 1738. Ss. 6.

Fratres se invicem omnes Religiosi nostri Ordinis appellent. Cap. Gen. an. 1686. Ss. 11.

Furantes poculenta vel esculenta in foro externo esse puniendos ùt proprietarios, & regularis disciplinæ perturbatores. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 8.

Fugitivus habendus, qui petitâ & non obtentâ licentiâ Superioris extra septa Monasterii, ut adeat Rm. D. Generalem, exierit. Cap. Gen. an. 1686.

G.

GEneralis Ordinis nostri potest in Monasteriis commendatis totum, quod potest Abbas in suo proprio Monasterio exceptô, quòd nequeat reditus & bona Monasterii commendati Ecclesiæ suæ, sed Monasterio commendato applicare. Cap. Gen. an. 1686. Ss. 3.

Ge-

Generalis Ordinis noſtri poteſt deponere Abbates, & id ipſum poſſunt Vicarii Generales. Cap. Gen. an. 1657.

pro Generali defuncto ſolemne ſervitium in omnibus Eccleſiis Ordinis eſſe celebrandum, & ab uno quoque ſacerdote duæ Miſſæ dicendæ. Cap. Gen. an. 1738. Ss. 5.

Generalis poteſt mutare decreta Capituli Provincialis. Cap. Gen. an. 1657.

H.

in HAbitu pleno, talari ſcilicet toga, ſcapulari, cingulo & caputio ſemper ſint tam Paſtores quàm Conventuales in Monaſteriis; nec liceat proviſoribus, cellariis aliíſque Abbatialibus Officialibus ſub prætextu cujuſcunque conſuetudinis in pectorali habitu comparere. Cap. Gen. an. 1717. Ss. 4.

Herbipolenſis Epiſcopus, ut reſtituat Ordini Gerlaſſeim, urgebat Cap. Gen. an. 1657. Ss. 13.

Herniæ diſpoſitio, quæ tolli poteſt judi-

ciô Medicorum, non eſt impedimentum canonicum veſtitionis aut profeſſionis, ſicut nec actualis Hernia declarata & cognita, quæ atteſtantibus ſcriptè Medicis onera & officia religionis non impedit. Cap. Gen. 1670. Ss. 3. an. 1717. Ss. 2.

Hoſpitia communia evitare & ad Ordinis Collegium ſe recipere debere eos, qui Pariſios veniunt. Cap. Gen. an. 1686. Ss. 12.

Hoſpitalitas ſeu eleemoſyna qualis facienda pauperibus, Viſitatores deſignent. Cap. Gen. an. 1657.

I.

JEjunium, quod in ſtatutis, diſt. 3. c. 6. n. 7. imponitur Conventui, non eſt in pane & aqua. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 8.

Incarcerandos poteſt Vicarius Generalis vel Viſitator relaxare. Cap. Gen. an. 1663. Ss. 12.

Infirmis delicatiores cibi non miniſtrentur ad judicium Magiſtri, ſed Abbatis. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 7.

In-

Injuriam occultè faciens Religiosus Superioribus aut Fratribus sive libros, sive vestes destruendo, vel alia damna usque ad peccatum mortale inferendo ipso facto suspensionem; vel si non sit in sacris excommunicationem, incurrit. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 7. an. 1686. Ss. 15. an. 1717. Ss. 9. an. 1738. Ss. 11.

Introitus Missæ in duplicibus & majoribus bis legendus. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 6.

St. Josephi Sponsi B. V. Mariæ nomen inserendum in Lytaniis Sanctorum post nomen St. Joannis Baptistæ censuit Capitulum Gen. an. 1738. Ss. 8.

Juramentum non exigitur à Pastoribus de descriptione mobilium, & computu fideliter dandis, puniendos tamen esse, si illa non exhibeant. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 7.

Juramentum à singulis religiosis exigant Visitatores in visitatione. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 12.

Jurisdictionem Rmi. D. Generalis ùt Generalis sede vacante ad Vicarios, & ipsis deficientibus ad Circatorem Ordinis devolutam declaravit Cap. Gen. an. 1717. Ss. 11.

L.

LEctores non esse aliquo honoris privilegio donandos. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 7.

Lectores actualiter Theologiam docentes censentur inter Majores domûs. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 7. Item an. 1663. Ss. 15. dummodo sit de gremio & unus tantùm in Monasterio, adjungit Cap. Gen. an. 1738. Ss. 3.

Lectores non nostri Ordinis assumi posse judicavit Capitulum Gen. an. 1657. Ss. 9. sed per contrariam resolutionem scilicet: Professores ex aliis Ordinibus nunquam accersendos, supra dictam declarationem correxit. Capitulum Gen. an. 1738. Ss. 4.

Lectores non possunt admittere discipulos suos ad cubiculum suum, nec ipsi discipulorum intrare ratione instructionis particularis. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 17. & an. 1663. Ss. 15.

Lectorem mensæ agere debent quatuor Sacerdotes juniores in defectu juvenum. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 16.

Legitimi thori testimonium in scripto à vestiendis exhibendum. Cap. Gen. an. 1660.

Libertates Ordinis Superiores tueantur. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 17.

Libros vel scripta ne in lucem edant, nisi à Capitulo Generali aut à Reverendissimo D. Gene-

Generali facultatem obtinuerint. Cap. Gen. 1663. item 1717. Ss. 2.

Litteræ nec mitti, nec recipi poſſunt ſine licentia. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 7.

Litteras mittentes ſine licentia primâ vice deprehenſi in pane & aqua absque relaxatione jejunare debent, ſi reincidant, duplicanda eſt pœna. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 8. & an. 1686. Ss. 14.

Loram vel Loriſſam virorum Abbatiam à Moguntino Epiſcopo repetendam. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 13.

Ludentes pro pecunia, pœnâ contra proprietarios conſtitutâ, punientur. Cap. Gen. an. 1717. Ss. 10.

Lytanias B. V. poſt Completorium ſolitas recitari indulſit Capitulum Gen. an. 1657.

Lytanias diebus rogationum non tenentur Canonici noſtri recitare extra chorum ſub mortali. Cap. Gen. 1666. Ss. 4. & an. 1738. Ss. 2.

M.

MAjores domûs ſunt Lectores Theologiæ ſpeculativæ actualiter legentes. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 9. & 1663. Ss. 15. ſi tamen ſit unicus in Monaſterio actualiter legens & de ipſo gremio. Cap. Gen. an. 1738. Ss. 3.

Manicas togarum nullatenus eſſe dividendas in extremis partibus. Cap. Gen. 1686. Ss. 11.

Miſſas Ordinis tres ſicut dotas dicere præcipit Capitulum Gen. an. 1660.

Miſſæ Ordinis an celebrari debeant tres, quando ſunt in Monaſterio Sacerdotes ſex? duas, ſi quatuor? una, ſi duo? & quidem juxta obligationem Ordinis? quæſivit Capitulum Gen. an. 1666.

Ut quando ſunt ſex Sacerdotes liberi obligabuntur ad Miſſam de B. V. Maria decrevit Capitulum Gen. an. 1738. Ss. 12.

Miſſa matutinalis applicatur pro fratribus, ſororibus, parentibus, fundatoribus & benefactoribus. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 13.

Miſſam unam pro fratribus, ſororibus, parentibus, fundatoribus, benefactoribus ſinguli Sacerdotes non impediti omni tempore ſingulis ſeptimanis dicant. Cap. Gen. an. 1738. Ss. 8.

Miſſæ matutinalis & B. V. obligationi ſatisfit per Miſſas extra conventum celebratas, dum-

dummodò applicentur ad intentionem Ordinis. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 11.

Missa defunctorum conventualiter cantanda cantetur locò majoris Missæ, quæ eâ die privatim legenda. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 28.

Missa privata una dicatur pro alterius Monasterii ejusdem Circariæ defuncto confratre à singulis Sacerdotibus. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 16.

Missas adventitias an liceat dicere omissis Ordinis tribus in Monasterio Wedinghusano sive Arnsbergensi, ubi vix alii proventus quàm ex Sacristia habentur, judicio Vicarii Generalis, & illius Circariæ resolutionem submisit, & definire noluit Capitulum Gen. an. 1657.

pro Missa quotidiana fundanda in futurum ad minùs centum aurei annuè requiruntur. Cap. Gen. an 1660. Ss. 7.

Missæ reductio fundatæ post Concilium Tridentinum aut impositæ in fundationis limine reservatur Sedi Apostolicæ. Idem ibid.

Missæ à Prælatis vel à Religiosis nostri Ordinis utriusque sexûs fundatæ nullam habent obligationem. Idem.

Moguntinus Archi-Episcopus ut restituat Loram vel Lorissam Ordinis Monasterium, Item Reters & Gerlesheim solicitatur Capitulum Gen. an. 1660. Ss. 11.

Monialibus Ordinis nostri non assignentur Confessarii Sæculares, nisi ex judicio Vicarii

Generalis non possint ex nostris habere. Cap. Gen. an. 1657.

Monasterii antiquitas attenditur juxta accessum ad Ordinem. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 15.

Mozetis utantur Abbates etiam de Communitate antiqui rigoris. Cap. Gen. an. 1657.

Mozetam rocheto superponant Prælati, quando Conventus est in superpelliceis. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 3.

Murmuranti de regimine temporalium silentium imponatur. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 6.

Musicam figuralem in statutis prohibitam rursus prohibuit Capitulum Gen. an. 1657. Ss. 9.

N.

ad NOvitiatum non suscipiatur alicujus Religiosi consanguineus in primo vel secundo gradu, ubi in Monasterio octo solùm vel

vel pauciores ſunt religioſi, neque recipi debet juvenis ad Monaſterium viginti etiam religioſorum, ſi is ibi habeat duos avunculos. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 16. an. 1663.

Novitiatus communis erigatur in qualibet Circaria, mandat Capitulum Gen. an. 1657. an. 1660. Ss. 3. an. 1717. Ss. 3.

Novitii non applicentur ad ſtudia tempore novitiatûs. Cap. Gen. an. 1666. Ss. 5.

Novitium dimittere poteſt ſolus Abbas, non tamen fieri debet temerè, ſed conſultis Priore & Magiſtro novitiorum. Cap. Gen. an. 1663. Ss. 4.

pro Novitio mortuo tantum fit, quantum pro profeſſo. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 8.

O.

OFficia votiva Auguſtiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, B. V. Mariæ, S. P. Norberti appro-

approbata & recepta ſunt à Capitulo Gen. an. 1738. Ss. 8.

Officium S. Gilberti Breviario inſerendum cenſuit Cap. Gen. an. 1657. Ss. 13. & transferendum in 24. Octobris diem ordinavit Cap. Gen. an. 1738. Ss. 8.

Officium defunctorum poſſunt quatuór religioſi in choro recitare, modò alii ſtudiis incumbant. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 11.

ab Officii canonici recitatione poſſunt Superiores abſolvere religioſos ſuos in majoribus ordinibus non conſtitutos actualiter ſtudiis incumbentes. Cap. Gen. an. 1657. & pro clariori notitia obligationis recitandi officium canonicum eorum, qui nondum ſunt in ſacris ordinibus, adjungitur declaratio Capituli Gen. an. 1618. quòd quilibet religioſus Ordinis noſtri pro ſe eô tempore, quò non cantatur (*cantabatur enim olim*) officium B. V. in choro, illud legere teneatur, eò quod de præcepto ad horas de Domina, ſicut ad canonicas legendas teneatur.

Officium facere in Triplicibus tertiæ claſſis non tenentur Prælati. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 7.

Ordinarius ſtrictiſſimè ad litteram obſervetur. Cap. Gen. 1660. Ss. 12. Novus ordinarius eſt approbatus à Capitulo Gen. an. 1738. Ss. 8.

pro

pro Ordinatione ad quoscunque Epiſcopos poſſe mitti noſtros Canonicos. Cap. Gen. an. 1717. Ss. 5.

P.

PAlliis utantur Canonici noſtri oblongis per urbes. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 16.

Pariſios venientes Religioſi noſtri ad Collegium noſtrum ſe recipiant. Cap. Gen. an. 1686. Ss. 14. & an. 1738. Ss. 4.

Parochi antiqui rigoris comedentes carnes ſine licentia ter moniti, ſi non reſipiſcant, ipsô factô privati ſint beneficio. Cap. Gen. an. 1663. Ss. 11.

Paſtores ſingulis annis faciant exercitia ſpiritualia. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 7. an. 1717. Ss. 8. an. 1738. Ss. 3.

Prætermittentes ea jejuniô unius diei in pane & aqua puniantur. Cap. Gen. an. 1670.

in Paſtoratibus facere non ſufficit. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 7.

Paſtores non exhibentes ſingulis annis inventa-

ventarium cogendi ſunt, recuſantes puniantur juxta ſtatuta diſt. 4. c. 20. n. 1. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 7.

non poſſunt ſine licentia Superioris proprii notabilia ædificia, vel inutilia exſtruere, nec parentibus notabilem ſummam pecuniarum dare. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 7.

Paſtores non ſunt vocandi ad commutationem bonorum Monaſterii faciendam. Cap. Gen. an. 1738. Ss. 9.

de Paſtoribus quæ in ſtatutis præſcribuntur, ut faciant accuratiſſimè obſervari, Superioribus in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipit Capitulum Gen. an. 1686. Ss. 11. vel 14.

Paſtor non privatur ſepulturâ Chriſtianâ etiam propter notabilia debita. Cap. Gen. an. 1670.

in Paſtorum morte ſolvere aliquid Decanis Monaſteria non tenentur. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 7.

Pater Abbas non habet vocem electivam in electione filii Abbatis. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 11.

Pater appellatur ſolus Prior & Supprior Cap. Gen. an. 1633. ſolus Prior quod appellandus ſit Pater, decrevit Cap. Gen. an. 1686. Ss. 11.

Paternitatis jus acquiritur per eum, qui ſuis expenſis deperditum Monaſterium recuperavit. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 10.

de

de Paupertatis voto obſervando mandatum renovavit Capitulum Gen. an. 1738. Ss. 10.

Pilei habeant quatuor pollices ordinis in altitudine, & quinque in latitudine. Cap. Gen. an. 1686.

Pileolorum uniformitas in qualibet provincia commendata eſt à Capitulo Gen. anni 1686.

Pileos nigros, aut byreta nigra Paſtores non portent. Cap. Gen. an. 1657.

Pileoli ut ſint albi, ordinavit Cap. Gen. an. 1657. Ss. 19. ſed Capitula Gener. an. 1717. & an. 1738. Ss. 12. exigunt, ut ſint nigri.

Porta, quâ Abbates commendatarii pro ſuo arbitratu ingredi Conventum poſſint, deneganda. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 5.

Præcedentia inter Abbates in Capitulo Generali juxta inſtallationem habenda ſine reſpectu ad Circarias, quô decretô non comprehenduntur Ordinis Patres, qui ſanè ubique præcedunt. Cap. Gen. an. 1660.

ad Præcedentiam uſus Pontificialium non juvat. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 15.

Præcedentia inter Priores juxta tempus inſtitutionis ad officium ſervanda. Cap. Gen. an. 1663. Ss. 14.

Præpoſitos eſſe perpetuos illos, qui à monialibus eliguntur, & hi non ad aliam, quàm filii Abbates tenentur obedientiam. Cap. Gen. an. 1651. Ss. 23.

Præpositus eligendus ex Matrice Abbatia. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 12.

Præpositi, qui sunt formales Prælati, non sunt adstringendi ad Confessarios ex Monasterio P. Abbatis assumendos. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 9.

Singulis annis computum suum reddant coram Priorissa, Magistra, & quibusdam majoribus de domo, & pecuniæ asserventur sub tribus clavibus. Cap. Gen. an. 1717. Ss. 8.

Præpositus monialium debet cedere Priori Monasterii Paterni, si in Monasterio Paterno nullum habeat stallum, nisi suæ professionis. Cap. Gen. an. 1663. Ss. 11.

Præpositus infulatus propter infulam non præcedit non infulatum. Cap. Gen. an. 1666. Ss. 10.

Præpositos Bohemiæ Abbatiali titulô decoravit Cap. Gen. an. 1738. Ss. 7.

Preces non esse Conventui imponendas, nisi quæ in Statutis & in Ordinario præscribuntur, extra casum necessitatis. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 16. & 1660. Ss. 6.

Præses Collegii Parisiensis potest deputari ad canonicè visitanda omnia nostri Ordinis Monasteria, etiam ubi Abbates Regulares sunt.

Prior Ecclesiæ Præmonstratensis itidem Cap. Gen. an. 1657. Ss. 5. & an. 1663. Ss. 15.

Priores licèt possint in Visitatores assumi Circariarum, non tamen in Vicarios Generales

rales eligere eos licitum est. Capit. Gen. an. 1670. Ss. 15.

Priores possunt in Definitores assumi, sicut & alii deputati, ad Capitulum Generale, ita tamen ut eorum numerus non excedat quartam partem Abbatum seu Præpositorum in Definitores assumptorum. Cap. Gen. an 1657. & an. 1686. Ss. 3.

Priores Claustrales etiam vocandi sunt ad Capitulum Provinciale. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 6. & an. 1663. Ss. 10. & in Capitulo Provinciali non assumantur in Definitores, nisi jam omnibus Abbatibus assumptis. Cap. Gen. an. 1657.

Priores in Capitulis Provincialibus sub Abbatibus locum habent. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 6.

in aliis Monasteriis post Priorem habent locum. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 16.

inter Priores juxta institutionis tempus ordo sumitur. Cap. Gen. an. 1663. Ss. 14.

Priores non sunt triennales, sed ad nutum amovibiles. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 16. & an. 1660. Ss. 6.

Priores Claustrales possunt deputari à Rmo. D. Præmonstratensi ad visitandum etiam Abbates regulares. Cap. Gen. an. 1738. Ss. 4.

Priori Claustrali nulla cura Pastoralis etiam nec ea, quæ in claustro, exercenda committi debet, nisi Visitatores aliter judicaverint. Cap. Gen. an. 1686. Ss. 12.

Prio-

Priores Sanctimonialium non habere locum post Priorem domûs, sed suæ Professionis, dum accedunt ad Monasteria virorum. Cap. Gen. an. 1738. Ss. 3.

Priores in Monasteriis commendatis non habere jurisdictionem Ordinariam; Cap. Gen. an. 1686. Ss. 13. habere tamen plenam facultatem tam in spiritualibus quàm temporalibus, sive in utroque foro regendi. Idem Capitulum Ss. 4. & anni 1663. & an. 1670. Esse amovibiles. Cap. Gen. an. 1686. Ss. 2. 4. & 13.

Priores Monasteriorum commendatorum possunt eligi ad hoc, ut in Capitulo Generali habeant vocem consultativam, sed eos tamen non habere illam, nisi assumantur, declaravit Capitulum Gen. an. 1657.

Priores juxta Tridentinum, & Statuta Ordinis in Monasteriis commendatis debent vel à Rmo. D. Generali, vel à Patre Abbate, vel à Vicario Gen. institui. Cap. Gen. an. 1686. Ss. 3.

Priorum Monasteriorum Commendatorum institutionis formulam exhibet Capitulum Gen. anni 1686. Ss. 13.

Prior non potest mittere juniores ad Ordines sine licentia Abbatis sui regularis. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 27.

Prioratûs Sacri Montis penes Olmutium erectio confirmata à Capitulo Gen. an. 1738. Ss. 4.

Privilegiis mendicantium uti posse nostros doctri-

doctrinaliter declaravit Capitulum Gen. an. 1663. Ss. 10. & 15.

Privilegiorum communicatio Circariæ Sueviæ ab Urbano VIII. concessa approbatur in Capitulo Gen. an. 1657. Ss. 9.

Procurator Generalis in Curia Romana potest deputari ad Monasteria Ordinis visitanda, etiam ubi sunt Abbates regulares. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 5. & an. 1663. Ss. 15.

per Procuratorem dictum postulentur postulanda apud Sedem Apostolicam, & Romam pergentes apud Eundem se sistant. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 17. an. 1663. & an. 1670. Ss. 6.

Procuratori Generali Romano assignata est pro victu & vestitu summa mille centum viginti quatuor librarum Francicarum à Capitulo Gen. an. 1657. Ss. 11.

Professio potest emitti ab eo, qui ære alieno sexaginta florenorum est obstrictus. Cap. Gen. an. 1663. Ss. 11.

Professores vide Lectores.

Proficiscentes ad aliud Monasterium compareant in eo habitu pleno id est: caputio scapulari & toga, & chlamidem deponant venientes ad illud vel ad urbem. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 6. & an. 1663. Ss. 11.

Proprietatis reservatæ materiæ quantitas attendenda est in foro conscientiæ secundum opiniones Doctorum probatissimorum. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 8.

Pro-

Proſæ non dicuntur niſi in Miſſali Romano præſcriptæ. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 5.

Protractiones inutiles in cantu eſſe eliminandas cenſuit Capitulum Gen. an. 1660. Ss. 6.

Pſalmi pœnitentiales debent recitari in exequiis fratrum, etſi in quadrageſima illo die fuerint recitati. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 8.

Pſalmi pœnitentiales in quadrageſima poſſunt perſolvi à quatuor Canonicis in choro per Superiorem deputandos poſt ſextam canonicam, ſic & vigiliæ defunctorum. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 28. & an. 1660. Ss. 9.

R.

REcreatio ſeu deambulatio annua concedenda eſt iis, qui per annum munia ſua bene peregerunt. Cap. Gen. an. 1717. Ss. 8.

de Recreatione danda ſtudentibus punctum Capituli Generalis anni 1663. Ss. 7. expunctum eſt in Capitulo Gen. an. 1670. Ss. 3.

Re-

Reformationem suam introducere in aliquod Monasterium non licet Communitati, nisi servatis conditionibus contentis in Constitutionibus Apostolicis. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 17.

Reformationem inducant Vicarii Generales ad monasteria non reformata recuperata, vel recuperanda. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 6.

Reformationis introducendæ causâ possunt Vicarii & Visitatores assumere religiosos ex Monasteriis, & ad alia mittere non obstante proprii Abbatis contradictione. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 14.

Reformationis conservatio offertur Congregationi antiqui rigoris à Capitulo Generali an. 1633, si jurisdictionem Ordinis agnoscat.

Remittere religiosum authoritate D. Præmonstratensis emissum prohibuit Capitulum Gen. an. 1660.

Reservatur in Ordine nostro respectu virorum & monialium peccatum externum grave in materia luxuriæ respectu complicis, ita ut non possit complex confessarius absolvere complicem, cum etiam in diversis diœcesibus reservetur, ita tamen ut complex ab alio confessario possit absolvi, cujuscunque sexûs sit complex. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 7. & an. 1717.

Rochetis utantur Prælati & mozetâ. Cap. Gen. an. 1666. Ss. 5. Canonici quoque rochetis utantur sub cappis laneis & caputiis longis

gis à festo omnium Sanctorum usque ad Pascha. Cap. Gen. an. 1717. Ss. 4. & an. 1738. Ss. 12.

Romam pergentes se sistere debent apud Rm. D. Ordinis Procuratorem Generalem. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 17.

S.

SCapularis candidi confraternitatem per breve Pontificium institutum in Ecclesia de Bello portu laudavit, approbavit, & participationem omnium spiritualium bonorum Ordinis concessit Alumnis Capitulum Gen. an. 1686. Ss. 11.

Scripta, quæ concernunt alia Monasteria Ordinis nostri sub excommunicationis pœna esse restituenda, mandavit Capitulum Gen. an. 1657. Ss. 11.

Scrutinium ante electionem Prælatorum non potest esse inutile. Cap. Gen. an. 1663. Ss. 17.

Secretarius Rmi. D. Generalis in suo Monasterio

nasterio suæ professionis, & in aliis domibus post priorem locum obtinere debet, nisi ex alio titulo præcedere debeat. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 15.

Seniorem Conventûs in absentia Superiorum verè esse Præsidem Conventûs, declaravit Cap. Gen. anni 1663.

Statuta ut observentur, prout jacent. Cap. an. 1657. Ss. 12. an. 1660. an. 1686. Ss. 11. & 1717. Ss. 2.

In Statuta vilipendium spargentes puniantur triduanô jejuniô. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 17.

Statuta ut observari faciant Superiores, sub districtiori præcepto mandavit Capitulum Gen. an. 1686. Ss. 11.

Studentes actualiter potest eximere Superior ab officio B. V. & septem psalmis pœnitentialibus. Item à recitatione officii Canonici non in majoribus constitutos. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 8. & anni 1663. Ss. 17.

ad Subsignationem obligantur Conventuales sub pœna inobedientiæ, & gravioris culpæ, dum de majorum domûs judicio & consensu Vicarii, aut P. Abbatis, aliqua fuerint resoluta, & necesse fuerit ad praxim Gallici fori, ut subsignent. Cap. Gen. anni 1670. Ss. 6.

Superpelliceis sub officiis Divinis primam immediatè sequentibus & in vesperis uten-

tur Canonici noſtri à Paſchale usque ad feſtum omnium Sanctorum. Cap. Gen. an. 1717. Ss. 4.

Superpelliceis utendum in Nativitate Domini, & majoribus feſtivitatibus, item in officio defuncti fratris; item quando ſæculares, apud quos degunt Præmonſtratenſes, illis utuntur, licèt ſit inter feſtum omnium Sanctorum & Paſcha. Cap. Generale an. 1666. Ss. 6. & an. 1670. Ss. 8.

Supprior poteſt adminiſtrare Parochiam Monaſterio vicinam. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 16.

T.

TAbaci uſus inhibetur ſub pœna in pane & aqua jejunii. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 19.

de Thoro legitimo teſtimonium in ſcriptis exigitur à veſtiendis. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 6.

Tonſura fratrum ſingulis octiduis facienda. Cap. Gen. an. 1717. Ss. 8.

Trans-

Transferri religiosos de domo in domum vel Monasterio in Monasterium, & translatos donari voce activâ & passivâ ac si professi essent in propria domo exceptâ electione Prælatorum, esse remedium expediens pro bono reformationis, definivit Capitulum Gen. an. 1657. & hoc confirmatum in Cap. Gen. an. 1660. Ss. 4.

Transferri possunt religiosi ad aliud Monasterium propter reformationem introducendam etiam contradicente proprio Abbate. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 14.

V.

VEstimenta religiosi non deponant ludi causâ. Cap. Gen. an. 1639.

Veste laxiori seu chlamide uti licet super togam talarem in itinere, sed in urbibus deponatur. Cap. Gen. an. 1686. Ss. 11.

Vestium forma in quacunque Circaria sit

 eadem,

eadem, materia eadem & color etiam itinerantium albus. Cap. Gen. an. 1717. Ss. 4.

Viatores religiosi cùm pallium non gerunt, sint in caputio. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 6.

Vicarius & Visitator possunt incarcerandos relaxare. Cap. Gen. an. 1663. Ss. 12.

Vicarii sunt amovibiles ad nutum R. D. Generalis. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 8.

Vicarii Gen. Monasterium quoque visitetur à Visitatore omni trienniô. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 4.

Vicarii possunt reducere missas & anniversaria Cap. Gen. an. 1657. Ss. 19.

Vicarii seu Visitatores eligendi sunt pluralitate vocum Capituli, id est Abbatum & Definitorum, ita ut electus duas tertias habeat suffragiorum. Cap. Gen. an. 1663. Ss. 12. & an. 1666. Ss. 3.

Vicariatum accipere ab Abbatibus commendatariis, inhibet Capitulum Generale an. 1633.

Visitationes annuæ fiant. Cap. Gen. an. 1657. intelligendum vel à Vicario vel à Visitatore, vel à Patre Abbate. Cap. Gen. an. 1666. Ss. 4.

ad Visitationem venire debent de jure & praxi Ordinis tam beneficiati quàm officiarii expositi de Abbatia Professi sed non nisi vocati, qui tunc vocantur, quando Visitatores judicant expedire. Cap. Gen. an. 1686. Ss. 3.

Visi-

Viſitator omni triennio totam Circariam viſitet. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 4. & 1666. Ss. 1.

Viſitator tertii anni ſeu Circator non poteſt quidquam ordinare non conſulto & in audito Abbate. Cap. Gen. an 1670. Ss. 7.

Viſitator debet Superiorem præmonere de futura viſitatione, ut ſi alius ad viſitandum ſe præſentaret, moneret. Cap. Gen. an. 1657.

Viſitator exigat juramentum à Religioſis in curſu viſitationis. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 12. etſi nihil gravis momenti eſſe advertat, tamen ſemper exigendum. Cap. Gen. an. 1663.

Viſitator debet audire Superiorem ſuper decretis formandis. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 9. & 10.

Viſitator invitis irrationabiliter Prælatis poteſt ſtatuere utilia; majoris momenti puncta debet præoſtendere Prælato viſitato. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 18.

Viſitatores determinent, quot debeant intereſſe choro ad cantandam miſſam, & horas. Item quot miſſæ Ordinis debeant applicari. Cap. Gen. an. 1666. Ss. 11.

Viſitatores in caſu legitimi impedimenti aut morbi tenentur ad ſubſtituendum. Cap. Gen. an. 1663. Ss. 1.

Viſitatores extra ſuæ viſitationis actum nullam præcedentiam habent, nec mutare poſſunt decreta Vicarii. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 1.

Viſitatores ordinarii & extraordinarii juxta ſtatuta Eccleſiarum ſtatum & in iis factas ordinationes ad proxima ſequentia Capitula Genera-

neralia referant in Archivo Præmonſtratenſi reſervanda. Cap. Gen. an. 1670. Ss. 2.

Vocem conſultativam habent etiam juniores cùm de rebus magni momenti agendum. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 26.

Vocem in electione Prælatorum non habent Religioſi translati ad aliud Monaſterium Cap. Gen. an. 1657. Ss. 6. & an. 1660. Ss. 3.

Vocem in electione Prælatorum non habent, qui non ſunt Subdiaconi, niſi contraria foret conſuetudo. Cap. Gen. an. 1657. Ss. 8. & an. 1670. Ss. 11. & an. 1717.

Vocem deliberativam habent omnes Prælati in omnibus Seſſionibus. Cap.Gen an. 1657. 1660. 1663.

Vocem conſultativam habent Doctores & Baculaurei. Cap. Gen. 1657. Ss. 2. & 3.

Vocum æqualitas ſi fuerit in Definitorio, ſtandum eſt illi parti, cui adhæret Definitorii Præſes. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 3.

Vocum æqualitas, vel multitudo non tam conſiderandæ, quàm rationum pondus. Cap. Gen. an. 1660. Ss. 3.

EX-

EXTRACTUS

PRIVILEGIORUM CANONICO ORDINI PRÆMONSTRATENSI CONCESSORUM A SUMMIS PONTIFICIBUS.

Honorio II. Privilegium	1mum	anno	1126
Innocentio II. Priv.	2 -	anno	1131
	3 -	anno	1135
	4 -	anno	1137
	5 -	anno	1138
	6 -	anno	1140
	7 -	anno	1141
Cœleſtino II. Priv.	8 -	anno	1143
Lucio II. Priv.	9 -	anno	1144
Eugenio III. Priv.	10 -	anno	1145
ab Eodem Priv.	11 -	anno	1146
Adriano IV. Priv.	12 -	anno	1154
ab Eodem Priv.	13 -	anno	eodem
Alexandro III. Priv.	14 -	anno	1168
	15 -	anno	1169
	16 -	anno	1170
	17 -	anno	1172
	18 -	anno	1173
	19 -	anno	1177
Lucio III. Priv.	20 -	anno	1181
	21 -	anno	1183
Urbano III. Priv.	22 -	anno	1187

Clemente III. Priv.	23 -	anno	1188
	24 -	anno	eodem
	25 -	anno	eodem
	26 -	anno	eodem
Innocentio III. Priv.	27 -	anno	1198
	28 -		eodem
	29 -		eodem
	30 -		eodem
ab Eodem	31 -	anno	1200
	32 -		eodem
	33 -		eodem
ab Eodem	34 -	anno	1209
	35 -		eodem
Honorio III. Priv.	36 -	anno	1216
	37 -		eodem
ab Eodem	38	anno	1217
ab Eodem	39	anno	1219
	40 -		eodem
	41 -		eodem
ab Eodem	42 -	anno	1220
	43 -		eodem
ab Eodem	44 -	anno	1222
	45 -		eodem
	46		eodem
ab Eodem	47 -	anno	1226
Gregorio IX. Priv.	48 -	anno	1227
	49 -		eodem
ab Eodem	50 -	anno	eodem
	51 -		eodem
	52 -	eod. vel	1230
NB. Numerus	52	anno	1230

repe-

repetitur ab Authore Bibliothecæ Præmonstratensis per errorem.

	53 -	-	eodem
	54 -	-	eodem
	55 -	-	eodem
ab Eodem	56 -	anno	1233
	57 -	-	eodem
	58 -	-	eodem
	59 -	-	eodem

NB. Numerus 60 omittitur ab Authore Bibliothecæ Præmonstr. per errorem.

ab Eodem	61 -		eodem
ab Innocentio IV.	62 -	anno	1245
	63 -		eodem
	64 -		eodem
	65 -		eodem
	66 -		eodem
	67 -		eodem
	68 -		eodem
	69 -		eodem
ab Eodem	70 -	anno	1246
	71 -		eodem
	72 -		eodem
ab Eodem	73 -	anno	1247
	74 -		eodem
	75 -		eodem
	76 -		eodem
ab Eodem	77 -	anno	1248
ab Eodem	78 -	anno	1249
	79 -		eodem

ab Alexandro IV.	Priv.	80 -	anno	1256
		81 -		eodem
		82 -		eodem
		83 -		eodem
		84 -		eodem
		85 -		eodem
		86		eodem
		87		eodem
		88		eodem
		89		eodem
		90 -		eodem
		91 -		eodem
		92 -		eodem
		93 -		eodem
		94		eodem
		95		eodem
		96		eodem
		97 -		eodem
ab Eodem		98 -	anno	1257
ac Eodem		99 -	anno	1258
ab Urbano IV.	Priv.	100 -	anno	1261
ab Eodem		101 -	anno	1262
		102 -		eodem
		103 -		eodem
à Gregor. X.	Priv.	104 -	anno	1272
		105 -		eodem
ab Honor. IV.	Priv.	106 -	anno	1286
à Nicol. IV.	Priv.	107 -	anno	1289
		108 -		eodem
ab Eodem		109 -	anno	1290

ab

à Bonifacio VIII.	Priv.	110 -	anno	1295
		111 -		eodem
ab Eodem		112 -	anno	1300
		113 -		eodem
à Benedicto XI.	Priv.	114 -	anno	eodem
à Clemente V.	Priv.	115 -	anno	1312
à Joann. XXII.	Priv.	116 -	anno	1317
à Benedict. XII.	Priv.	117 -	anno	1335
à Clemente VI.	Priv.	118 -	anno	1343
		119 -		eodem
		120 -		eodem
		121 -		eodem
		122 -		eodem
		123 -		eodem
ab Eodem		124	anno	1349
àb Innocent. VI.	Priv.	125 -	anno	1356
àb Urbano V.	Priv.	126 -	anno	1367
àb Alexandro V.	Priv.	127 -	anno	1409
		128 -		eodem
à Joann. dicto XXIII.	Priv.	129 -	anno	1410
ab Eodem		130 -	anno	1413
		131 -		eodem
		132 -		eodem
		133 -		eodem
à Martino dicto V.	Priv.	134 -	anno	1417
ab Eodem		135 -	anno	1429
à Concilio Basil.		136 -	anno	1434
		137 -		eodem
ab Eodem		138 -	anno	1435
		139 -	-	eodem
		140	-	eodem

ab

ab Eodem		141 -	anno	1436
ab Eugenio IV.	Priv.	142 -	anno	1438
à Nicolao V.	Priv.	143 -	annó	1454
à Sixto IV.	Priv.	144		
		145 -	anno	1475
		146 -	-	eodem
ab Eodem		147 -	anno	1476

Author transposuit Ordinē hujus Pontificis Clementis VI.

à Clemente VI.	148 -	anno	1343
à Julio II.	149 -	anno	1503
à Gregorio XIII.	150 -	anno	1578
	151 -		eodem
à Clemente octavo	152 -	anno	1598
à Paulo V.	153 -	anno	1606
ab eodem	154 -	anno	1615
à Gregorio XV.	155 -	anno	1621
ab Urbano VIII.	156 -	anno	1625
à Benedicto XIII.		anno	1729

Pro

Pro Reformatione Circariæ Hispanicæ.

à Pio V.	Priv.	1mum	anno	1570
à Gregorio XIII.	Priv.	2dum	anno	1573
ab Eodem	Priv.	3tium	anno	1582
à Clemente VIII.	Priv.	4tum	anno	1593

Pro Communitate antiqui rigoris.

à Paulo V.	Priv.	1 -	anno	1617
à Gregorio XV.	Priv.	2 -	anno	1621
à Supremo Rotæ Rom-tribunali	Priv.	3	an. 1631 &	1632
ab Urbano VIII.	Priv.	4 -	anno	1631
ab Eodem	Priv.	5 -	anno	1635
ab Eodem	Priv.	6 -	anno	1638
à S.Congregat. Cardin.	Priv.	7 -	anno	1649
ab Innocentio X.	Priv.	8 -	anno	1652
à Congregat. Cardin.	Priv.	9 -	anno	1662
ab Innocentio XII.	Priv.	10 -	anno	1697

Pro Circaria Sueviæ.

ab Urbano VIII.	Priv.	anno	1626

PRIVILEGIA

Ordinis Præmonstratensis

approbata à Regibus Galliæ Henerico II, Carolo IX, Henerico III. Henerico IV. Ludovico XIII, Ludovico XIV, Ludovico XV. anno 1718. 12. Julii.

Innocentii II.	anno 1140.
Adriani IV.	anno 1154
Alexandri III.	anno 1177
Lucij III.	ânno 1183
Urbani III.	anno 1187
Clementis III.	anno 1187
Innoc. IV.	anno 1245
Alexandri IV.	anno 1256
Urbani IV.	anno 1261
Gregorii X.	anno 1272
Pontifacij VIII.	anno 1295
Joannis XXII.	anno 1317
Benedicti XII.	anno 1337
Clementis VI.	anno 1343
Martini V.	anno 1417

PRIVILEGIA

approbata à Regio Duce Lotharingiæ anno 1723.

Lucii III.	anno 1183
Alex. IV.	anno 1256
Urbani IV.	anno 1261

Cle-

Clementis V.	anno 1317
Joann. XXII.	anno 1317
Alex. V.	anno 1409
Joann. XXIII.	anno 1410
Ejusdem	anno 1413
Sixti IV.	anno 1476
Pauli V.	anno 1617
Greg. XV.	anno 1621
Urbani VIII.	anno 1628
Ejusdem	anno 1638
Innoc. X.	anno 1652
Alex. VII.	anno 1662

Prænotandum 1mò : *Cùm concessio privilegiorum justam supponat causam, non ambigitur ex eadem Summos Pontifices Ordini Præmonstratensi (qui inter quatuor Congregationes privilegiatas numeratur) privilegia & quidem vel ob regularitatis seu disciplinæ regularis observantiam vigentem, & fructum ex eâ profluentem, vel ad eam promovendam atque dirigendam concessisse; hinc privilegia alia sunt gratiæ, alia disciplinæ; & ea, quæ sunt gratiæ separatim ab illis, quæ sunt disciplinæ, sicut quæ D. Abbati Præmonstratensi, & quæ Abbatibus singulariter concessa sunt, singulariter specificantur.*

Prænotandum 2dò: *Quòd nequaquam privilegia specificata proponantur hìc, quasi omnia in vigore adhuc suo persistant; nam ex eis aliqua sunt restricta, aliqua revocata, aliqua in usum non recepta, prout vel temporis circumstantiæ, vel rerum necessitates exigebant; sed tamen omnia*

omnia memoriæ Posteritatis tradenda & commendanda videntur, ut Sanctæ Apostolicæ Sedis affectus ergà candidum Ordinem nostrum Præmonstratensem, & Patrum nostrorum labores pro communi bono Ordinis suscepti, atque Eorum merita eluceant.

Prænotandum 3tiò: *Præmonstratenses gaudere privilegiis aliarum domorum Ordinis nostri per extensionem sicuti in Capitulo Generali anni* 1657. *Ss.* 5. *communicatio privilegiorum Circariæ Sueviæ annô* 1626. *concessorum approbata est, & quidem ipsi Summi Pontifices Clemens VIII. annô* 1593. *per Congregationem Hispanicam, Urbanus VIII. annô* 1635. *& annô* 1638. *per Communitatem antiqui rigoris Ordinis Præmonstratensis suorum Privilegiorum extensionem de una domo ad alias concesserunt, imò & aliorum Ordinum S. Bernardi Congregationis Cistericensis in Hispania, S. Salvatoris nostri ac Sanctorum Vitonis & Hidulphi in Lotharingia. Item S. Mauri Ordinis Sancti Benedicti in Gallia & omnibus etiam gratiis indultis tam spiritualibus, quâm temporalibus quibusvis Religiosorum Ordinibus concessis gaudere, per dictam Communitatem antiqui rigoris & per Sueviæ Circariam indulsit Urbanus VIII.*

Prænotandum 4tò *Præmonstratenses etiam gaudere privilegiis mendicantium, & hoc doctrinaliter declaravit Capitulum Generale anni* 1663. *Ss.* 10. *&* 15.

Quod

Quod Urbanus VIII. super citatus tam in privilegiis Circariæ Sueviæ annô 1626, quàm Communitati antiqui rigoris annô 1638 concessis expressit.

Prænotandum 5tò Abbates gaudere multis privilegiis de communi jure vel consuetudine, quæ non sunt in particularibus privilegiis nostris rememoranda.

Prænotandum 6tò quod privilegia nonnulla juxta diversa eorum verba in diversis litteris hujus extractûs alphabetici repetantur, ad faciliùs reperiendum id, quod est quærendum.

Prænotandum 7timò citatio privilegiorum hìc fit juxta numerationem eorundem à P. Le Paige in Bibliotheca Præmonstratensi factam, & idcirco oportebat, eum in numero 52. repetito, & 60 omisso errantem sequi, sicut in annotatione annorum quò ad bullarum concessionem.

A.

Abbas Præmonstrati, Generalis totius Ordinis eligatur à Canonicis ejusdem Ecclesiæ. Priv. 19. ab Alex. III. annô 1177. Potest absolvere suos à peccatis & excommunicatione, atque tonsuram Ordinésque minores conferre eis. Priv. 15. ab Alexandro III. an. 1169. Item priv. 36. ab Honorio III. an. 1216. etiam super irregularitate dispensare, exceptâ eâ, quæ ex bigamia & homicidio. Priv. 53. à Greg. IX. annô 1230.

Poteſt committere vices ſuas in diſpenſando ſuper irregularitate. Priv. 96. ab Alex. IV. an. 1256.

Portatile & uſum Pontificalium, nec non benedictionem populo dare in Eccleſiis Ordini ſuo pleno jure ſubjectis more Pontificum, conceſſit ei Clemens V. annô 1312. priv. 115.

Poteſt de conſilio primorum trium Abbatum Canonicos Ordinis ad ſtudium Theologiæ Pariſios mittere. Priv. 111. à Bonifacio VIII, annô 1295.

Licet ei habere octo equitaturas, primis Abbatibus quinque vel ſex, cæteris quatuor. Priv. 65. ab Innoc. IV. an. 1245.

Patris dignitatem & officium habeat in omnibus Ordinis ſui Eccleſiis. Priv. 19. ab Alex. III. an. 1177.

Poteſt benedicere veſtimenta Sacerdotalia, pallas altaris, item benedictionem impertiri in fine Capituli Generalis. Priv. 25. à Clem. III. an. 1188.

Conſtituere Procuratorem Generalem in Curia Rom. Priv. 52. à Gregorio IX. Monaſteria Ordinis viſitare cuncta, & reformare. Priv. 151. à Gregorio XIII. an. 1578.

Privi-

Privilegia Gratiæ pro Abbatibus.

In Abbatem non eligatur alterius Ordinis persona. Priv. 3. ab Innoc. II. an. 1135.

Abbatum benedictio non differatur. Priv. 10. ab Eug. III. an. 1145, & priv. 19. ab Alex. III. an. 1177. Nihil pro eorum benedictione detur. Priv. 3. ab Innoc. II. annô 1135.

Abbas recenter electus ordinario præsentetur, non tamen examinetur. Priv. 19. ab Alex. III. annô 1177, priv. 75. ab Innoc. IV. an. 1247, priv. 104. à Gregorio X. an. 1272.

Si benedictionem obtinere non potest, officio suo interiùs & exteriùs fungatur. Priv. 75. ab Innoc. IV. an. 1247.

Abbates possunt suos à casibus Pontifici & Metropolitano reservatis absolvere. Priv. 19. ab Alex. III. an. 1177, & priv. 21. à Lucio III. an. 1138. confirmante privilegia ab Alex. III. concessa.

Non tenentur personaliter comparere in Synodo Ordinariorum, sed per procuratorem. Priv. 126. ab Urban. V. an. 1367. Item priv. 115. à Clem. V. an. 1312.

Possunt revocare Parochos suos. Priv. 91. ab Alex. IV. an. 1256, & priv. 43. ab Honorio III. annô 1220, priv. 107. à Nicolao IV. an. 1289, priv. 129. à Joanne XXIII. an. 1410, priv. 133. ab Eodem, an. 1413.

Possunt Monasteria in grangiis suis ædificare. Priv. 103. ab Urbano IV. an. 1262.

Abbatibus conceditur facultas plena ſolvendi, & ligandi ſuos ſubditos. Priv. 21. à Lucio III. an. 1183, priv. 22. ab Urbano III. annô 1187, priv. 26. à Clem. III. annô 1188, priv. 51. à Greg. IX. an. 1227, priv. 79. ab Innoc. IV. anno 1249, priv. 100. ab Urbano IV. annô 1261, priv. 105. à Greg. X. an. 1272.

Licet habere eis quatuor equitaturas. Priv. 65. ab Innoc. IV. an. 1245.

In Abbates benedicantur Præpoſiti Ordinis. Priv. 10. ab Eugenio III. an. 1145.

Abbas Corbienſis deſignatus eſt libertatum & immunitatum Præmonſtratenſium conſervator. Priv. 82. ab Alex. IV. anno 1256.

Item Abbates S. Medardi Sueſſionenſis & Sti. Ualarici ſupra mare. Priv. 113. à Bonifacio VIII. an. 1300.

Abbates petentes privilegium non utendi mitrâ & chirothecis, aliiſque Pontificalibus illud obtinuerunt. Priv. 27. ab Innoc. III. an. 1198.

Pater Abbas dum electores non conveniunt de conſilio ſuorum Coabbatum perſonam idoneam in Abbatem providebit. Priv. 19. ab Alex. III. an. 1177.

Curam

Curam de profectu filii Abbatis & fratrum domûs illius habeat, atquè poteſtatem corrigendi corrigenda in ipſis. Priv. idem.

Privilegia Diſciplinæ pro Abbatibus.

Abbates cogantur ab Archi-Epiſcopis & Epiſcopis ad Capitulum Generale Præmonſtratum ire. Priv. 8. à Cœleſtino II. an. 1143, & pluribus.

Abbates comedentes carnes tribus feriis ſextis in pane & aqua pro qualibet vice jejunent. Priv. 65. ab Innoc. IV. an. 1245.

Ne conſanguineo non egeno, etiam egeno in gravamen Eccleſiæ mobilia vel immobilia dent. Priv. 88. ab Alexandro IV. an. 1256.

In communi refectorio comedant, in communi dormitorio cubent. Priv. 65. ab Innoc. IV. an. 1245.

In clauſtro ſedeant, divinis interſint. Ab eodem.

Rationes bis in anno coram officialibus dent. Priv. 59. à Greg. IX. an. 1233.

Ut quater dent rationes. Priv. 65. ab Inn. IV. an. 1245.

Cum consensu majorum de domo Canonicos vel fratres recipiant. Idem priv.

Abbas incorrigibilis deponatur per Diœcesanum Episcopum sub præsentia & testificatione P. Abbatis & duorum Ordinis Abbatum. Priv. 2. ab Innoc. II. an. 1131.

Abbas inutilis, vel infamis, & Ordinis prævaricator deponatur. Priv. 21. à Lucio III. an. 1183.

Privilegia alia ad Disciplinam dirigentia.

Abstinentia à carnibus etiam extra conventum servanda. Priv. 21. à Lucio III. an. 1183.

Verùm dispensavit Nicolaus IV. pro itinerantibus. Priv. 109. annô 1290.

Advocatos vel Physicos nunquam habeant Præmonstratenses de sua familia sæculares, nisi manifestæ necessitatis tempore. Priv. 65. ab Innoc. IV. an. 1245.

Alienare res Ordinis non licet. Priv. 22. ab Urban. III. an. 1187.

Appel-

Appellare non licet Præmonstratenses contra regularem disciplinam. Priv. idem.

Appellatio ad Ordinis tribunal fiat. Priv. 19. ab Alex. III. 1177, priv. 21. à Lucio III. an. 1187.

Aves, & alia animalia, ut canes &c. habere prohibentur. Priv. idem.

B.

Privilegia Gratiæ.

BEneficia cum cura animarum posse impetrare, & impetrata officiare, Præmonstratensibus concessum.

Priv. 103. ab Urbano IV. an. 1262.
122. à Clemente VI. an. 1343.
136. à Concilio Basileensi. an. 1434.

Benedicere paramenta Sacerdotalia & reliquam Ecclesiasticam supellectilem Superioribus monasteriorum sine Abbate existentiam, in quibus saltem duodecim religiosi de familia perpetuò commorantur, concessum est ab Urbano VIII. an. 1635. Communitati ant. rig.

Bona Ord. Præm. conſervari ut faciant Archi-Epiſcopi & Epiſcopi, præcipitur. Priv. 83. ab Alex. IV. an. 1256.

Beneficiarius in beneficio ſimplici utpote membro Monaſterii Ordinis Præmonſtr. viſitari non poteſt ab Ordinario. Priv. 53. à Greg. IX. an. 1230.

Privilegia Diſciplinæ.

Balneis uti Prælatis & ſubditis Præmonſtratenſis Ordinis inhibitum, niſi evidens infirmitas vel debilitatis neceſſitas expoſcat. Priv. 65. ab Innoc. IV. an. 1245, priv. 88. ab Alexandro IV. an. 1256.

C.

Privilegia Gratiæ.

CArnes comedere licet minutis, & potionatis Præmonstratensibus Religiosis. Priv. 65. ab Innoc. IV. an. 1245.

Extra monasterium existentibus quoque licet. Priv. 109. à Nicolao IV. an. 1290.

In carnis esu quoad totum Ordinem facta dispensatio, in priv. 149. à Julio II. an. 1503.

Carnis esus quibus infirmis concedendus sit, relinquitur judicio Prælati. Priv. 101. ab Urbano IV. an. 1262.

Carnes comedere in Præmonstratensis Ordinis domibus non licet Archi-Episcopis, Episcopis & Principibus. Priv. 21. à Lucio III. an. 1183, priv. 55. à Greg. IX. an. 1230, priv. 76. ab Innoc. IV. an. 1247.

Causæ super Spiritualibus committi non debent nisi viris Ordinis. Priv. 31. ab Innoc. III. an. 1200.

Clausula Generalis in Bullis: *quidam alii* non obligat Præmonstratenses, nisi specialis fiat mentio de Præmonstratensi Ordine. Priv. 56. à Greg. IX. an. 1233, priv. 63. ab Innoc. IV. an. 1245, priv. 84. ab Alex. IV. an. 1256.

In Commendam ne Monasteria Præmonstratensis Ordinis conferantur. Priv. 146. à Sixto IV. an. 1475. & hujus defensores constituti Abbas S. Genovefæ Parisiensis, S. Gregorii Coloniensis, & S. Petri Lovaniensis Leodicensis Diœcesi Decani.

Con-

Conſecrationes Eccleſiarum à quocunque Antiſtite Catholico ſuſcipiantur. Priv. 13. ab Adriano IV. an. 1154.

Confeſſiones ſæcularium famulantium in Monaſterio licet Præmonſtratenſibus audire. Priv. 17. ab Alex. III. an. 1172.

Conveniri non poſſunt Præmonſtratenſes. Priv. 56. à Gregorio IX. 1233, priv. 72. ab Innocentio IV. an. 1246, priv. 95. ab Alex. IV. an. 1256.

Privilegia Diſciplinæ.

Canes habere prohibetur. Priv. 21. à Lucio III. an. 1183, priv. 65. ab Innoc. IV. an. 1245.

Canonici ſinguli non ponantur per villas, oppida & Eccleſias. Priv. 88. ab Alex. IV. an. 1256.

Carnes comedentes ſine licentia tribus feriis ſextis in pane & aqua jejunent pro qualibet comeſtione etiam ipſi Prælati. Priv. 65. ab Innoc. IV. an. 1245, priv. 104. à Greg. X. an. 1272. quod præcedens confirmavit.

Carnes non licet coqui in culina conventuali. Priv. 65. ab Innoc. IV. 1245.

Carnis

Carnis abſtinentia à Communitate ant. rig. reaſſumpta. Priv. Communitatis 1. à Paulo V. an. 1617, priv. 2. à Greg. XV. an. 1621, priv. 10. ab Innoc. XII. an. 1697.

Capituli diſciplina obſervetur ſtudiosâ diligentiâ. Priv. 65. ab Innoc. IV. an. 1245, priv. 88. ab Alexandro IV. an. 1256.

In Capitulo Generali quidquid juſtè & providè judicatum fuerit, teneatur irrefragibiliter. Priv. 21. à Lucio III. an. 1183.

Capitulum annuum celebretur. Priv. 3. ab Innoc. II. an. 1135.

Omnes Prælati conveniant ſingulis annis Præmonſtrati pro feſto S. Dionyſii. Priv. 123. à Clem. VI. an. 1343.

Ad id compellantur. Priv. 8. à Cœleſt. II. an. 1143, priv. 9. à Lucio III. an. 1144, priv. 11. ab Eugenio III. an. 1146.

Cappâ griſeâ utantur converſi. Priv. 61. à Gregorio IX. an. 1234.

Confeſſarium ſibi eligere nullus Præmonſtratenſium poteſt absque Abbatis Præmonſtratenſis, vel Patris Abbatis, aut Viſitatorum licentia. Priv. 50. à Gregorio IX. an. 1227, priv. 102. ab Urbano IV. an. 1262.

Carceri mancipandi ſunt fugitivi & apoſtatæ. Priv. 108. à Nicolao IV. an. 1289.

D.

Privilegia Gratiæ.

DEcimas novalium veteres percipere possunt Præmonstratenses. Priv. 92. ab Alex. IV. an. 1256.

Decimas de iis, quæ propriis manibus colunt Præmonstratenses, solvere non tenentur. Priv. 6. ab Innoc. II. an. 1140, priv. 24. à Clem. III. an. 1188.

Decimas solvere de possessionibus ante Concilium Lateranense non tenentur Præmonstratenses. Priv. 21. à Lucio III. an. 1183, priv. 22. ab Urb. III. an. 1187, priv. 24. à Clem. III. an. 1188.

Item nec post dictum Concilium tenentur; ratio quòd Curiæ Romanæ à toto Ordine satisfactum sit. Priv. 103. ab Urb. IV. an. 1262, priv. 116. ab Innoc. XXII. an. 1317.

Defensores privilegiorum constituti: Abbas Corbiensis. Priv. 82. ab Alex. IV. an. 1249.

Abbates S. Medardi Suessionensis, & S. Uralarici supra mare. Priv. 113. à Bonif. VIII. an. 1300.

Item Defensores diplomatis Alexandri V. Priv. 127. ab Eodem, annô 1409.

Defensores diplomatis Joannis XXIII. Priv. 129. ab eodem, annô 1410.

Abbates S. Genovefæ Parisiensis, S. Jacobi Leodiensis ab Eodem Londonensis Diœcesis Westmonasterii. Alte-

Alterius diplomatis in priv. 133. ab eodem, annô 1413.

Privilegia Diſciplinæ.

Donare res Ordinis non licet Præmonſtratenſibus. Priv. 22. ab Urb. III. an. 1187.

Debita bis in anno ſibi faciant Prælati exponi. Priv. 88. ab Alex. IV. an. 1198.

E.

Privilegia Gratiæ.

ECcleſias ædificare in grangiis & prædiis ſuis licet Præmonſtratenſibus. Priv. 103. ab Urb. IV. an. 1262.

In Eccleſiis Ord. Præm. ſua inſtituere colloquia inhibetur Principibus. Priv. 76. ab Innoc. IV. an. 1247.

Eccle-

Ecclesias Præmonstratensium turbare inhibetur in priv. 1. ab Hon. II. an. 1126, priv. 2. ab Innoc. II. an. 1131.

In Electione Abbatis, in qua non conveniunt electores, Pater Abbas de consilio Coabbatum suorum provideat de idoneo Abbate. Priv. 19. ab Alex. III. an. 1177.

Episcopo non licet expellere Præmonstratenses de suis Ecclesiis. Priv. 1. ab Hon. II. an. 1126.

Exactiones insolitæ ne fiant Præmonstratensibus, inhibetur Principibus & Nobilibus. Priv. 55. à Greg. IX. an. 1230, priv. 112. à Bonif. VIII. an. 1300.

Item Episcopis inhibetur. Priv. 32. ab Innoc. III. an. 1200, priv. 47. ab Hon. III. an. 1226.

Nec ratione Patrocinatus S. custodiæ. Priv. 66. ab Innoc. IV. priv. 80. ab Alex. IV. priv. 112. à Bonif. VIII.

Excommunicari non possunt Præmonstratenses ab Episcopis etiam Ordinariis. Priv. 3. ab Innoc. II, priv. 21. à Lucio III, priv. 103. ab Urb. IV. an. 1262.

Excommunicare possunt Præmonstratenses suos schismaticos. Priv. 14. ab Alex. III. Item incentiarios. Priv. 25. à. Clem. III.

Excommunicare, vel monere Magnates non tenentur Præmonstratenses. Priv. 34. ab Innoc. III. an. 1209.

Excommunicationis & interdicti sententiâ feriantur malefactores, rerúmque suarum raptores,

ptores, & detentores ac percussores Præmonstratensium. Priv. 33. ab Innoc. III. an. 1200.

Exemptiones personarum, locorum, rerúmque Ord. Præmon. Priv. 2. ab Innoc. II, priv. 3. ab Eodem, priv. 13. ab Adr. IV, priv. 127. ab Alex. V, priv. 130. à Joanne XXIII, priv. 136. 137. & seq. à Concilio Basileensi.

A decimis solvendis. Priv. 6. ab Innoc. II, priv. 24. à Clem. III, priv. 103. ab Urb. IV, priv. 116. à Joanne XXII. an. 1317.

Ab Ordinariorum excommunicatione & interdicto. Priv. 3. ab Innoc. II, priv. 21. à Lucio III, priv. 31. ab Innoc. III, priv. 103. ab Urb. IV. an. 1262.

Ab Ordinariorum jurisdictione. Priv. 131. à Joan. XXIII. quoad ordinationem & sacramenta alia suscipienda. Priv. 13. ab Eugenio III, priv. 21. à Lucio III, priv. 22. ab Urb. III.

Ab exactionibus Episcoporum. Priv. 32. ab Innoc. III, priv. 47. ab Hon. III, priv. 56. à Greg. IX, priv. 66. ab Innoc. IV. priv. 73. ab eodem, an. 1247.

A Litteris Apostolicis & legatorum, nisi fiat expressa mentio eorum. Priv. 63. ab Innoc. IV, priv. 72. ab eodem, priv. 84. ab Alex. IV, priv. 93. ab eodem, an. 1256.

A procurationibus Legatorum & Nunciorum Apostolicorum, nisi sint Cardinales. Priv. 98. ab Alex. IV. an. 1257.

A litteris impetratis contra privilegia Ord. Rom. Priv. 93. ab Alex. IV. an. 1256.

Ab

Ab Examine Ordinariorum Abbates benedicendi. Priv. 75. ab Innoc. IV. an. 1247.

A Comparitione perſonali in Synodis. Priv. 126. ab Urb. V. an. 1367.

A talliis ſcabinorum & judicum. Priv. 80. ab Alex. IV. an 1256.

A ſolutione minutorum, leguminum & olerum. Priv. 9. à Lucio II. an. 1144.

A Viſitatione eorum, qui non ſunt Ordinis. Priv. 74. ab Innoc. IV. an. 1247.

Exemptio locorum. Priv. 145. à Sixto IV. an. 1474.

Exemptiones omnes confirmatæ. Priv. 127. 147. 150. 152. 154.

Extenſio privilegiorum Provinciæ Hiſpaniæ conceſſorum de una domo in alias. Priv. 4. Circariæ Hiſpaniæ.

Privilegia Diſciplinæ.

F.

Privilegia Gratiæ.

FUndatrices posse intrare Præmonstratensium Canonicorum claustrum, refectorium, infirmitorium. Priv. 59. à Greg. IX. item priv. 149. à Julio II. sed hoc privilegium est correctum per Bullas Pii V. & Gregorii XIII. ab Ordine nostro receptas, & Statutis dist. 4. c. 23. n. 2. insertas, quæ vetant fundatricibus ingressum.

Disciplinæ.

Fidejubere pro aliquo non licet Præmonstratensibus. Priv. 22. ab Urb. III. an. 1187.

Fugitivi excommunicationis mucrone feriantur. Priv. 4. ab Innoc. II, priv. 12. ab Adriano IV. sed hoc est correctum in Statutis dist. 3. c. 11. n. 19.

G.

Privilegia Gratiæ.

GRadus Baculaureatûs , Licentiatûs , Doctoratûs , Pariſiis & alibi adipiſcendi facultas conceditur Præmonſtratenſibus , quemadmodum conceſſa eſt à Benedicto II. Canonicis Regul. S. Auguſtini. Priv. 124. à Clem. VI. an. 1349.

Diſciplinæ.

H.

Privilegia Gratiæ.

Hæreditates adire poſſunt Præmonſtratenſes

ſes ſive mobilium ſive immobilium. Priv. 78. ab Innocentio IV. an. 1249.

Diſciplinæ.

Hoſpitalitas ſervetur. Priv. 88. ab Alex. IV, priv. 149. à Julio II. an. 1503.

I.

Privilegia Gratiæ.

IMmunitas grangiis & Eccleſiarum atriis Ord. Præm. conceſſa. Priv. 19. ab Alex. III, priv. 21. à Lucio III, priv. 69. ab Innoc. IV, priv. 103. ab Urb. IV. an. 1262.

Immunitatibus Præmonſtratenſium non derogatur per conſtitutiones à D. Papa editas. Priv. 81. ab Alex. IV. 1256.

Immunitas, privilegia & exemptiones confirmantur. Priv. 69. ab Innoc. IV. an. 1245, priv.

priv. 86. ab Alex. IV. an. 1256, priv. 114. à Benedicto XI, priv. 117. à Benedicto XII. an. 1335.

Indulgentiæ pro regulari disciplina resuscitanda concessæ, priv. 153. à Paulo V, ab Innocentio XII. renovatæ pro Communitate ant. rigoris, priv. 10. ejusdem Communitatis nempe:

1. Qui reformationem à Capitulo Gener. annô 1605. statutam recepissent præsertim regulæ, quæ præcipit, *sicut pascimini ab uno cellario, sic induamini ab uno vestiario*, prorsus obtemperassent, *plenariam.*

2. Qui reformationem, quæ Dei gratiâ in Monasterio S. Mariæ ad Nemus florebat, in aliud monasterium invexissent, etiam *plenariam.*

3. Qui reformationem hujusmodi suscepissent in articulo mortis, *plenariam.*

4. Qui reformationem Ord. Præm. promovissent, *decem annorum.*

5. Qui pro restauratione dicti Ordinis psalmum Miserere, vel ter Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam recitassent, pro qualibet vice 10. *dierum.*

6. Qui pro conversione malorum religiosorum ad regularem observationem diebus festis transfigurationis Domini, B. Mariæ V. S. Joannis Baptistæ, ac festo SS. Petri & Pauli rosarium ejusdem B. Mariæ Virginis recitassent, & pro conversione peccatorum ad pœniten-

nitentiam præſertim pro converſione malorum Religioſorum ad regularem obſervationem, *tertiæ partis peccatorum indulgentiam.*

7. Qui ſe Spiritualibus exercitiis excolendos tradidiſſent in domo aliqua dicti Ordinis, 20. *annorum.*

8. Qui octo diebus in cœnobio prædicto S. Mariæ commorantes, atque ad leges præviæ diſciplinæ ejusdem Monaſterii ſeſe conformantes prævia ſacra confeſſione ſacram communionem ſuſcepiſſent, *viginti annorum & totidem quadragenarum.*

9. Qui profeſſionem ſuam renovaſſent cum propoſitó eam diligenter obſervandi: *dimidiæ partis peccatorum ſuorum pro prima vice; deinde qui ſingulis annis ſemel eam renovaſſent, ſeptem annorum.*

10. Qui dimidium horæ quotidie meditationi rerum divinarum dediſſent: *quadraginta dierum pro unaquaque vice.*

11. Qui examinandæ ſemel quoque die conſcientiæ per quartam circiter horæ partem piè incubuiſſent: *decem annorum & totidem quadragenarum.*

12. Qui matutinarum officium mediâ nocte decantaſſent: *decem dierum toties, quoties.*

13. Qui ſolemnibus B. V. Mariæ pervigiliis jejunaſſent: *centum dierum toties, quoties.*

14. Qui aliquem religioſum dicti Ordinis ſeu alterius ad capeſſendam reformationem induxiſ-

induxiſſent: *ſeptem annorum & totidem quadragenarum.*

15. Qui lectioni, dum menſæ accumbitur, continuatæ piam operam dediſſent ſive legendo, ſive audiendo: *triginta dierum.*

16. Qui pro lineis lanea induſia geſtaſſent, & nonniſi veſtiti nocte ſomnum capere decreviſſent, *triginta annorum.*

17. Qui pro ſuſcepta aut defenſa reformatione dicti Ordinis injuriam aliquam vel ignominiam aliquam tuliſſent: *ſeptem annorum & totidem quadragenarum.*

18. Etiam illi, qui in magno vitæ periculo conſtituti Jeſus Mariæ nomina invocâſſent, corde ſaltem, ſi ore non potuiſſent, *plenariam.*

19. Paulus V. conceſſit pro feſto S. Norberti plenarias, an. 1606. priv. 153. *Conceſſæ à Clemente X, de annô 1673. Indulgentiæ plenariæ.*

20. Pro feſto Aſſumptionis B. V.

21. S. Auguſtini.

22. Pro die feſto vel Dominica infra octavam S. P. Norberti.

23. Decimâ tertiâ Novembris propter feſtum omnium Sanctorum Ordinis.

24. Die feſto ſpecialis Patroni ſeu titularis illius Eccleſiæ, cujus nomen in Martyrologio.

25. In feſto SS. Adriani & Jacobi MM. Gorcomienſium.

26. In ſingulis feſtis Beatarum Ord. Præm. quo-

quorum officium dici conceſſum eſt à Benedicto XIII. an. 1729.

Infirmos, qui in extrema voluntate ad Præmonſtratenſes transferri aut ſepeliri deliberaverint, nemo impediat. Priv. 3. ab Innoc. II. an. 1135.

ad Interdictum generale Ord. Præm. non obligatur. Priv. 25. à Clemente III. an. 1188. in Eccleſiis tamen à populari habitatione remotis divina officia ſolemniter celebrari poſſunt excluſis excommunicatis; in aliis autem non remotis Eccleſiis interdictis, & excommunicatis excluſis, non pulſatis campanis, ſuppreſſa voce, & clauſis januis à fratribus officium divinum celebretur. Priv. 118. à Clem. VI, priv. 122. ab eodem, an. 1343.

ſub Interdicto non poſſunt ab Epiſcopo poni Eccleſiæ Præmonſtratenſium. Priv. 3. ab Innoc. II. priv. 20. à Lucio III, priv. 103. ab Urb. IV. an. 1262.

Interpretatio litterarum Apoſtolicarum ad

ſolum Rom. Pontificem pertinet. Priv. 93. ab Alex. IV. an. 1256.

Diſciplinæ.

Imagines vanæ tollantur. Priv. 65. ab Innoc. IV. an. 1245. Nullæ habeantur niſi S. Salvatoris in refectoriis. Priv. 88. ab Alex. IV. an. 1256.

Ingreſſus ad domos ſororum prohibetur Canonicis Præmonſtr. & aliis regularibus. Priv. 65. ab Innoc. IV. an. 1245.

Item mulieribus ad clauſtrum Canonicorum Præmonſtratenſium, exceptô tempore ſepulturæ, vel dum eſt proceſſio in clauſtro. Ibidem.

in Judices aſſumi Priores & Suppriores inhibetur. Priv. 46. ab Honorio III. an. 1222.

L.

Privilegia Gratiæ.

LEgati Apostolici vel quicunque alii Prælati compellere non possunt Præmonstratenses ad aliquid ratione cujuscunque subsidii etiam Romanæ Ecclesiæ solvendum. Priv. 73. ab Innoc. IV. an. 1247.

Legatis & Nunciis Apostolicis non tenentur Præmonstratenses exhibere procurationes, nisi sint Cardinales. Priv. 98. ab Alex. IV. an. 1257.

Libertati Præmonstratensium non derogatur per constitutiones à D. Papa editas. Priv. 81. ab Alex. IV. & 84. ab Eodem, an. 1256.

Litteræ Apostolicæ vel Legatorum non obligant Præmonstratenses, nisi fiat expressa mentio de eis. Priv. 63. ab Innoc. IV. an. 1245, priv. 72. ab eodem, an. 1246, priv. 84. ab Alex. IV. an. 1256, priv. 93. ab Eodem, annô eodem.

Litteræ impetratæ contra privilegia Præmonstratensium non obligant. Priv. 93. ab Alex. IV. an. 1256.

Litterarum Apostolicarum interpretatio ad solum Rom. Pontificem pertinet. Priv. 93. ab Alex. IV. an. 1256.

sine Litterarum cautione suscipere discedentem

dentem Præmonſtratenſem inhibetur. Priv. 1. ab Honorio II. an. 1126.

Diſciplinæ.

Laborum inſtitutio regularis ſervetur. Priv. 88. ab Alexandro IV. an. 1256.

M.

Privilegia Gratiæ.

MAgnates monere, citare, vel excommunicare non tenentur Præmonſtratenſes. Priv. 34. ab Innoc. III. an. 1209.

Monaſteria ædificare in grangiis ſuis licet Præmonſtratenſibus. Priv. 103. ab Urb. IV. an. 1262.

Moniales & converſos recipere non tenentur

tur Præmonstratenses. Priv. 28. ab Innoc. III. an. 1198.

Disciplinæ.

Monasteria sororum ingredi Præmonstratensibus & aliis regularibus atque sæcularibus non licet, & qui verbum Dei eis exponit, sedeat in ostio, inter ipsum tamen et sorores interpositum sit velamen, ne illum videre valeant; licebit ipsi tamen propter Sacramenta administranda & sæcularibus propter opera servilia ingredi. Priv. 65. ab Innoc. IV. Item priv. 149. à Julio II. an. 1503.

Mulieres ingredi loca regularia non permittantur nisi Monasteriorum fundatrices. Priv. 149. à Julio II. & hæc exceptio quoàd fundatrices correcta est per Bullas Pii V. & Gregorii XIII. in Statutis dist. 4. cap. 23. n. 1. citatas & ab Ordine receptas.

Mutuum accipere non licet Præmonstratensibus. Priv. 2. ab Innoc. II. an. 1131.

N.

Privilegia Gratiæ.

Sti NOrberti feſtum 6. Junii celebrari cum octavis, & nomen in calendario ſcribi mandavit Sancta Sedes. Priv. 151. à Greg. XIII. an. 1578.

De Eodem lectiones ſecundi nocturni recitandas, & in Breviario Romano reponendas conceſſit Gregorius XV. an. 1621. Priv. 155.

Pro eodem indulgentias conceſſit plenarias perpetuò duraturas Paulus V. an. 1606. priv. 153.

S. Norberti feſtum in 11. Julii translatum ab Ordine Præmonſtratenſi approbavit Urbanus VIII. annô 1625. priv. 156. & Clemens X. annô 1673. conceſſit indulgentias plenarias pro feſto vel Dominica infra octavam.

Diſciplinæ.

Novitius ad profeſſionem non recipiatur niſi

nisi decimum octavum ætatis suæ annum egisset. Priv. 149. à Julio II. an. 1503.

O.

Privilegia Gratiæ.

ORatoria exstruere in grangiis, ibique celebrare divina officia licet Præmonstratensibus. Priv. 3. ab Innoc. II. an. 1135, priv. 21. à Lucio III. an. 1183.

Ordinarii excommunicent Præmonstratensium malefactores, percussores, raptores, detentores, etiam illos, qui detinent ea, quæ Præmonstratensibus relinquuntnr ex testamento decedentium. Priv. 33. ab Innoc. III. an. 1200, priv. 83. ab Alex. IV. an. 1256.

Ordinarii permittant revocari ad claustrum Parochos delinquentes. Priv. 43. ab Honorio III. an. 1220, priv. 91. ab Alex. IV. an. 1256, priv. 107. à Nicolao IV. an. 1289.

Ordinarii nullas exactiones Præmonstratensibus imponant. Priv. 47. ab Hon. III. an. 1226, priv. 52. à Greg. IX. an. 1230.

Ordinationes suscipere possunt à quocunque Episcopo Præmonstratenses. Priv. 13. ab Adriano IV. an. 1154.

Ordi-

Ordinationes & cætera ſacramenta ſuſcipere liberum eſt Præmonſtratenſibus, ſi Epiſcopus ordinarius foret impeditus, vel malitiosè differret ea conferre, & contingat habere aliquem Epiſcopum hoſpitem, de cujus ordinatione & officio plena ſit notitia, dum tamen Diœceſano Epiſcopo præjudicium non debet generari. Priv. 21. à Lucio III, priv. 22. ab Urb. III. priv. 42. ab Honorio III. an. 1220.

Ordinari poſſunt Præmonſtratenſes ad titulum Eccleſiæ, ad quam mittantur. Priv. 62. ab Innoc. IV. an. 1245.

Ordo Præmonſtratenſis ut Canonicus approbatur ab Honorio II. priv. 1. & confirmatur privilegiis plurimis. an. 1126.

Exemptus vide verbum: exemptiones.

Ordo Præmonſtr. Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubjectus. Priv. 2. ab Innoc. II. an. 1131. priv. 28. à Clem. III, priv. 130. à Joanne XXIII. an. 1413, cujus causâ ſingulis annis Abbas Præmonſtratenſis in Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli tenetur ſolvere Cameræ Apoſtolicæ ſex florenos auri de camera. Priv. 127. ab Alexandro V. an. 1409.

Diſci-

Diſciplinæ.

Obedientia & ſtabilitas debitè ſervetur. Priv. 2. ab Innoc. II. an. 1131.

Obedientia non promittitur à fratribus alicui in Abbatem electo, donec ipſius electio fuerit confirmata. Priv. 121. à Clem. VI. an. 1343.

Obſervantia regularis, quæ Præmonſtrati habetur, à nullo infringatur. Priv. 1. ab Hon. II. priv. 12. ab Adriano IV. annô 1154.

in Obedientiæ virtute impoſuit Innoc. IV. an. 1245. ut ſua reformationis decreta obſerventur. Priv. 65.

Ordinarii compellant Abbates ire ad Capitulum Generale. Priv. 8. à Cœleſtino II. an. 1143.

Officialium pœna eſt ſtatuta, quorum negligentiâ mulier intravit in clauſtrum domûs. Priv. 65. ab Innoc. IV. an. 1245.

P.

Privilegia Gratiæ.

PArochiales Eccleſias impetrare, eáſque regere poſſunt Præmonſtratenſes. Priv. 103.

103. ab Urb. IV. an. 1262. confirmatum à Concilio Basiliensi, vide privil. 136.

Parochi Præmonstratenses licet *sint exempti Ordinis* tamen Ordinariis subsunt, & de Spiritualibus rationem reddere tenentur, non tamen de temporalibus, sed Ordini. Priv. 128. ab Alex. V. an. 1409. Item priv. 25. à Clemente III. an. 1188.

Parochos delinquentes Præmonstratenses sinant Episcopi revocari. Priv. 43. ab Honorio III. an. 1220, priv. 91. ab Alex. IV. an. 1256, priv. 107. à Nicolao IV. an. 1289.

in Parochialibus Ecclesiis, quas Ordo Præmonstratensis habet, licet tres vel quatuor ponere Canonicos, quorum unus diœcesano Episcopo præsentandus. Priv. 25. à Clem. III. an. 1188.

Possessiones Præmonstratensium auferre inhibetur. Priv. 1. ab Hon. II. an. 1126. Item priv. 2. ab Innoc. II. an. 1131.

Eas Abbates non licet retinere. Priv. 19. ab Alex. III. an. 1177.

In protectionem Sedis Apostolicæ suscipiuntur. Priv. 85. ab Alexandro IV. annô 1256, priv. 127. ab Alexandro V. an. 1409. priv. 130. à Joan. XXIII. an. 1413.

Priori Collegii Parisiensis datur facultas absolvendi suos ab Excommunicationis & suspensionis sententiis & dispensandi super irregularitate. Priv. 1171. à Benedicto XII. an. 1335, priv. 144. à Sixto IV.

Privi-

Privilegia Ord. Præm. ut conserventur Archi-Episcopis, Episcopis, atque aliis demandatur. Priv. 41. ab Hon. III. an. 1219, confirmantur. Priv. 50. à Greg. IX. an. 1227, priv. 97. ab Alexandro IV. an. 1256, priv. 106. ab Honorio IV, priv. 130. à Joanne XXIII, priv. 134. à Martino V, priv. 137. à Concilio Basil. priv. 152. à Clem. VIII, priv. 154. à Paulo V. an. 1615.

Privilegiorum Præmonstratensis Ordinis interpretatio in dubiis ad solum Pontificem Rom. pertinet. Priv. 93. ab Alex. IV. an. 1256.

contra Privilegia Ord. Præm. impetratæ litteræ non obligant. Priv. 21. à Lucio III. an. 1183, priv. 63. ab Innoc. IV. an. 1245. priv. 93. ab Alex. IV. an. 1256.

Privilegiis quarumcunque Provinciarum in orbe terrarum Ordinis Præmonstratensis gaudere Communitas ant. rig. tam concessis quàm concedendis. Priv. 5. Communitatis ant. rigoris ab Urb. VIII. annô 1635.

Privilegiis mendicantium *gaudere*, & quorumcunque Ordinum gaudent Præmonstratenses Sueviæ & per communitatem totus Ordo. Priv. pro Provincia seq. ab Urb. VIII. annô 1626.

Procurationes pecuniarias ſolvere Epiſcopis non tenentur Præmonſtratenſes. Priv. 68. ab Innoc. IV, priv. 71. ab Eodem, priv. 73. ab Eodem, priv. 77. etiam ab Eodem.

Puniri non poſſunt Præmonſtratenſes Communitatis antiq. rig. in Monaſteriis, quæ non ſunt Communitatis. Priv. Communitatis 1. à Paulo V. an. 1117.

ſub Protectionem S. Sedis ſuſcipiuntur Monaſteria Ord. Præm. Priv. 2. ab Innoc. II, priv. 9. à Lucio II, priv. 25. à Clemente III, priv. 130. à Joanne XXIII, priv. 137. à Concilio Baſilienſi.

Privilegia Diſciplinæ.

Picturæ, quæ habent in ſe vanitatis materiam in domibus Ord. Præm. non habeantur. Priv. 65. ab Innoc. IV. an. 1245.

Picturæ nullæ præter imaginem Salvatoris in domibus Ord. Præmon. habeantur. Priv. 88. ab Alex. IV. an. 1256.

Poſſeſ-

Poſſeſſiones Præm. Ord. non poſſunt vendi, commutari ſine aſſenſu Capituli Generalis, vel Patris Abbatis licentia. Priv. 28. ab Innoc. III. an. 1198.

Præmonſtratenſes ne ſinguli per villas, oppida, aut Eccleſias ponantur, nec ſoli inter ſæculares exſpectent. Priv. 88. ab Alex. IV. an. 1256.

Prohibita Religioſis Præm. animalia, ut aves, canes, & ſimilia. Priv. 21. à Lucio III. an. 1183.

Procuratores cauſarum alienarum Præmonſtratenſes eſſe non poſſunt. Priv. 45. ab Hon. III. an. 1222.

R.

Privilegia Gratiæ.

REformationem Communitatis ant. rig. Præmon. poſſe ampleċti petitâ licentiâ licèt non obtentâ. Priv. 1. Communitatis ant. rig. à Paulo V. annô 1617.

Item in alia Monaſteria eam introduci. Priv. 5. Communitatis ant. rigoris. ab Urbano VIII. an. 1635.

Privilegia Diſciplinæ.

Rationes ſingulis annis ad minus ſemel Abbates officialibus reddant. Priv. 149. à Julio II. an. 1503.

Reformatio ut fiat in Ord. Præmon. juxta præſcripta ab Apoſtolica Sede Statuta in Capite & membris ac decreta illius obſervari faciant. Priv. 57. & 58. à Greg. IX. an. 1233.

Item priv. 65. ab Innoc. IV. an. 1245. ad avitam diſciplinam. Priv. 88. ab Alex. IV. an. 1256. & priv. 142. ab Eugenio IV. an. 1438. ad religionis obſervantiam. Privil. 151. à Gregorio XIII. an. 1578.

Reformationi reſiſtere inhibitum ſub excommunicatione & inhabilitatione. Priv. 143. à Nicolao V. an. 1454.

Regulæ modus, & prærogativa religionis, quæ Præmonſtrati obſervatur, à nullo infringatur. Priv. 2. ab Innoc. II, an. 1131, priv. 9. à Lucio II. an. 1144.

Quæ

Quæ de Regula ſubſtantia nullatenus infringantur, vel minuantur. Priv. 149 à Julio II. an. 1503.

S.

Privilegia Gratiæ.

SAcramenta adminiſtrare famulantibus, & de menſa viventibus poſſunt Præmonſtratenſes. Priv. 17. ab Alexandro III. an. 1172, priv. 21. à Lucio III, priv. 94. ab Alexandro IV. an. 1256.

Sententia contra Ord. Præm. privilegia eſt nulla, & irrita. Priv. 21. à Lucio III. an. 1183.

Sepeliri volentes apud Præmonſtratenſes, nullus impediat. Priv. 3. ab Innoc. II. an. 1135.

Sepultura in Eccleſiis Præm. Ord. conceditur ſæcularibus volentibus ibi ſepeliri. Priv. 13. ab Adriano IV. an. 1154.

pro Sepulturis Religioſorum Præmonſtratenſium nihil detur. Eodem privilegio.

Statuta primaria Ord. Præm. confirmata ſunt fermè in omnibus privilegiis usque ad Julium II.

Statuta immutandi facultas conceditur exceptis novem articulis & cum clausula: donec professores ad vetera observanda inclinati inveniantur. Priv. 149. à Julio II. an. 1503.

Superiores Monasteriorum in commendam concessorum aliorúmque Conventuum sine Abbatibus existentium, in quibus saltem duodecim Religiosi de familia perpetuò commorantur, facultatibus & indultis sicut Abbates inessent, frui & uti possunt, etiam quoàd benedictionem paramentarum Ecclesiasticarum, & sacræ supellectilis. Priv. 5. Communitatis ant. rig. ab Urb. VIII. an. 1635.

in Synodis Ordinariorum non tenentur Præmonstratenses personaliter comparere, sed per procuratores idoneos. Priv. 126. ab Urbano V. an. 1367.

Privilegia Disciplinæ.

Servientem equitem nullus Abbas, Canonicus, vel conversus habeat sæcularem. Priv. 88. ab Alex. IV. an. 1256.

Silentium in locis & horis constitutis studiosà diligentià observetur. Priv. 65. ab Innoc. IV.

noc. IV. Item priv. 88. ab Alex. IV. an. 1256, priv. 149. à Julio II. an. 1503.

Solus ne quis Præmonstratensium inter sæculares ponatur. Priv. 88. ab Alex. IV. an. 1256.

Stabilitas loci servanda. Priv. 2. ab Innoc. II. an. 1131, priv. 4. ab Eodem, annô 1137.

Statuta seu decreta generalia pro reformatione vide privilegium 65. ab Innoc. IV. an. 1245.

Statutum semel rationabiliter à nullo infringatur. Priv. 21. à Lucio III. an. 1183. & priv. 149. à Julio II. an. 1503.

Statuta (videlicet ultimò renovata 1630) inviolabiliter serventur. Priv. 149. à Julio II. an. 1503.

T.

Privilegia Gratiæ.

TEstes esse possunt Præmonstratenses in propriis causis. Priv. 21. à Lucio III. an. 1183.

Privilegia Disciplinæ.

TAllias in Capitulo Gener. solvere etiam per Censuras Ecclesiasticas sublatô appellationis obstaculô compellantur, & in duplo mulctentur. Priv. 123. à Clemente VI. an. 1343.

Transgressores statutorum debitè puniantur. Priv. 149. à Julio II.

ad Tribunal Ordinis & non aliud confugere fas sit Præmonstratensibus. Priv. 19. ab Alex. III. an. 1177.

V.

Privilegia Gratiæ.

VIſitari non poſſunt Præmonſtratenſes niſi per ſui Ordinis perſonas. Priv. 74. ab Innoc. IV. an. 1247.

Privilegia Diſciplinæ.

VEſtiarium commune erigatur, ex quo Abbates & ſubditi veſtiantur. Priv. 65. ab Innoc. IV. an. 1245.

Vestis pretiosa & delicata prohibetur, melioribus tamen uti licebit Prælatis. Eodem priv.

Visitatio annua fiat. Priv. 65. ab Innoc. IV. an. 1245. etiam in Archio cœnobio. Priv. 67. ab Innoc. IV. an. 1245.

Visitetur Ecclesia Præmonstratensis per tres primos Abbates. Priv. 19. ab Alexandro III. an. 1177.

Uniformitas sit in cantu, habitu, & observantia per totum Ordinem. Priv. 19. ab Alex. III. an. 1177, priv. 88. ab Alexandro IV. an. 1256. & pluribus aliis.

DE

DE REFORMATIONIBUS
in
Ordine Præmonſtratenſi.

INſtabilitas humana naturaliter declinat à ſuo primo fervore, quod accidiſſe in pluribus religioſis Ordinibus ac ſtatibus Eccleſiaſticis in experto eſt; verùm tamen providentia Divina in quolibet ſtatu excitat quosdam ſpiritu ferventes ad reſuſcitandum primum religionis ſeu fervoris ſpiritum, & ſpirat, ubi, & quando vult.

Innocentius III. & Gregorius X. Summi Pontifices ediderunt decreta, ut antiquæ religiones potiùs reformentur, quàm novæ inducantur; ſimile decrevit Concilium Lateranenſe, præcepitque Tridentinum Ss.25. cap.1. de regul. ut vetus ac regularis diſciplina, ubi collapſa eſt, reſtauretur.

Reformari Ordinem Præmonſtratenſem mandaverunt Gregorius IX. annô 1233, Innocentius IV. an. 1245, Alexander IV. annô 1256, Eugenius IV, annô 1438; manum tamen particulariter applicuit in Hiſpania Pius V. fortiter & ſuaviter diſponendo, ut ibidem Reformatio annô 1570. introduceretur, quam Gregorius XIII. an. 1573. ejusdem Succeſſor confirmavit, cujus Reformationis principales articuli ſunt:

1mus. Monaſteria ad majorem numerum ſaltem duodecim Canonicorum reducantur, & ea, in quibus prædictus numerus ſuſtentari

tari non poteſt, aliis Monaſteriis ejusdem Ordinis perpetuò incorporentur.

2. Ut Abbates dictæ Circariæ Hiſpaniæ eſſent triennales.

3. Electio Abbatis fiat ab unoquoque Conventu, non autem à Definitoribus Capituli.

4. Ille, qui per triennium Abbas fuerit, rurſus in Abbatem eligi non poterit, niſi transactô alio trienniô.

5. Provincialis ſeu Viſitator Generalis Hiſpaniæ quolibet trienniô in Capitulo obligatur, qui Abbas non erit, ut ſic omnia totius Provinciæ Monaſterio expeditiùs viſitare queat.

Suſcitavit quoque Divina providentia in Lotharingia viros zelô plenos, virtute perſpicuos, ſcientiâ eximios, prudentiâque illuſtres ſæculo decimô ſextô, qui inſudârunt ad mentem Concilii Tridentini ſupra citati collapſam regularem diſciplinam reſtaurare, inter quos R. D. Servatius de Lairvelz, Doctor Sorbonicus, Domini Danielis Pickard Abbatis S. Mariæ ad Nemus Reformationem inchoantis priùs Coadjutor, dein Succeſſor, Viſitator Generalis, ac Reformator Congregationem antiqui rigoris erexit, ad cujus ſupplices preces à S. Sede approbati ſunt.

Articuli Reformationis

à R. D. D. totius Ordinis Generali proprio motu priùs confirmati tenore ſequenti.

Petrus

Petrus Goſſetius Monaſterii Præmonſtratenſis humilis Abbas, ejuſdemque Ordinis Caput & Reformator Generalis, Omnibus, quorum intererit, Salutem.

Cùm varia de Reformatione in Monaſterium novum S. Mariæ Majoris Muſſipontanæ introducta, per totum Ordinem ſpargerentur, plurimis illam mirè laudantibus, aliis illi variè detrahentibus, rumórque ille in Monaſterio noſtro Præmonſtratenſi percrebuiſſet, noſtri eſſe officii judicavimus ad Monaſterium illud nos transferre, ac Reformationis ejuſdem negotium examinare. Die igitur decimâ ſextâ Maij anni milleſimi ſexcenteſimi decimi ſexti illud ingreſſi, mira gratulatione D. Abbatis ac Religioſorum excepti ſumus, ibique multa cum animi ſatisfactione aliquot hebdomadas exegimus, antiqua Patrum noſtrorum veſtigia in Dormitorio, Clauſtro, Refectorio, Capitulo, Choro, & aliis locis regularibus notantes. Cúmque cuperemus intelligere, quibus niteretur illa diſciplina fundamentis, oblati nobis ſunt Reformationis articuli ſub hac verborum ſerie :

Articuli Reformationis

Monaſterii novi S. Mariæ Majoris Muſſipontanæ, ad quos per Profeſſionem, vel ejuſdem renovationem Fratres intendunt ſeſe obligare ſub pœna, non autem ſub culpâ, niſi quoties eò deve-

venerint, ut in illis ſuperiori tota ſua vi præcipienti obedire nolint, vel quoties voluntatem omnem obſervandi unum illorum articulorum abjecerint. In illis enim duabus caſibus intendunt obligare ſe ad mortale; ad veniale autem non aliter quàm regula vel ſtatuta, ex quibus illi articuli penè omnes deſumpti ſunt.

1. Communitas victûs & veſtitûs.

2. Statutorum Ordinis Præmonſtratenſis obſervatio, in quantum ſtatuta illa continent ea, quæ videntur ſubſtantialia ejusdem Ordinis, id eſt, ea ſine quibus vita regularis in eodem Ordine vix ſtare poteſt.

3. Abſtinentia perpetua à carnibus, & jejunium ab exaltatione S. Crucis usque ad Paſcha.

4. Silentium regulare.

5. Lanneorum uſus cum ſola culcitra ſtraminea.

6. Dormitio in Dormitorio.

7. Comeſtio in Refectorio.

8. Lectio perpetua in menſa.

9. Quotidianarum horarum Canonicarum & Beatæ Virginis penſum.

10. Matutinarum officium media nocte.

11. Habitus totaliter candidus tam quoàd togam, quàm Scapulare, Caputium, & Cappam cum ea forma, quam habent in Ordine noſtro.

12. Proclamatio culparum in Capitulo quotidiano.

13. Correctio earundem in eodem loco, imponenda à Præside ejusdem Capituli juxta dictamen Statutorum pro excessibus vel defectibus majoris momenti vel ex contemptu.

14. Novitiatus secundus.

15. Confessio hebdomadaria.

16. Accessus Sacerdotum ad altare penè quotidianus, & non Sacerdotum ad sacram Synaxim hebdomadarius.

17. Recta bonorum temporalium Monasterii per Officiales administratio.

18. Conservatio titulorum sive documentorum, sigilli & pecuniæ sub triplici clave.

19. Acceptorum & expensorum rationes exhibendæ singulis mensibus.

20. Procuratio Reformationis hìc, & ubique.

21. Auditio gravaminum, quæ Religiosis occurrere solent.

22. Fructuosa temporis diurni & nocturni distributio.

23. His additur serotinum examen conscientiæ, meditatio quotidiana, recollectio annua cum Confessione generali totius anni, & renovatio annua Professionis cum juramento de acceptanda visitatione annua, & de nulla acceptanda vel procuranda dispensatione super prædictis præterquam à Sancta Sede, & de eligendis Abbate & Priore optimis, quando opus erit, & de beneficio, vel dignitate vel Prælatura, vel Prioris officio hujus Mona-

ſterii directè vel indirectè non procurandis.

Quod ad primum attinet, ita eſt Statutis & Regulæ, ſub quibus militamus, conformis, ut qui eum non obſervat, Statuta, Regulas, Capitula generalia Ordinis noſtri, ac Concilium Tridentinum deſtruat. Habet enim Regula Cap. 1. Sint vobis omnia communia, & diſtribuatur &c. & Cap. 8. Sicut paſcimini ex uno Cellario, ſic induamini ab uno Veſtiario. Statuta autem qui legit, non poteſt, quin communitatem illam victûs & veſtitûs videat, præcipuè verò qui diſtinctionem ſecundam attendit, in qua Officialium conſtitutorum ſeries nihil niſi communitatem illam loquitur. Accedit quòd Cap. 13. ejusdem Diſtinctionis hæc verba habeantur expreſſa: Veſtiaria ſint communia. Deſtruit etiam Capitula Generalia, quia hujusmodi communitas per illa præcipitur, ut ſatis videre eſt ex Capitulo Generali anni 1605. in quo anteacta Capitula Generalia communitatem victûs & veſtitûs præcipientia referuntur.

Deſtruit Concilium Tridentinum Seſſ. 25. Cap. 1. de Regularibus, ubi hæc verba habentur: Regulares ad Regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum &c.

Secundus articulus non poteſt eſſe Statutis Ordinis non conformis, quandoquidem ad eorundem obſervationem ſeſe aſtringit. Etſi enim ad ſubſtantialia tantùm ſeſe aſtringat, tamen

tamen alia minimè substantialia non respuit, sed ad ea vi Reformationis obligare se non intendit. Nam quod ad illorum observationem attinet, nemini dubium esse debet, ea in hoc Monasterio exactiùs, quàm in aliis observari, etsi vi Reformationis ad ea Mariani non sint astricti.

Tertius articulus etsi dispensationi ad duritiam cordis obtentæ, & in Statutis recentioribus contentæ, renuntiet, tamen antiquioribus Statutis (quæ quadringentis annis obligarunt) & antiquæ Patrum vitæ est conformis, ut patet ex Bulla recentioribus illis Statutis inserta, ubi Summus Pontifex ob depravatum abstinentiæ perpetuæ ac jejunii hyemalis, & aliarum observantiarum præceptum, dispensat ad securitatem conscientiarum, quæ passim præceptum illud temerè violabant, ídque donec ad majorem observationem reduci poterunt. Cùm ergò Mariani ad illam observationem antiquam reducti dignoscantur, in quo contra dispensationem obtentam, resumentes abstinentiam antiquam, aberrant? & quid repugnat, si à nobis in observatione illa manuteneantur, & authoritate nostrâ contra allatrantes protegantur?

Quartus articulus non potest calumniæ justæ esse subditus, quia nihil nisi regulare silentium, id est, Statutis & Regulis, sub quibus professionem emisimus, conforme, præcipit.

Quintus articulus in quantum laneorum uſum continet, ipſis Statutis antiquioribus & recentioribus eſt conformis, ut patet ex cap. 13. diſt. 1. & 2. Statutor. ubi prohibentur omnibus, præterquam infirmis, linea. Accedit, quòd in Generali Capitulo anni 1605. laneorum uſus poteſtati Abbatis relinquatur, fiátque ſingulis Abbatibus poteſtas uſum illum Monaſteriis ſuis reſtituendi. Quod autem attinet ad uſum culcitræ ſtramineæ, antiquis noſtri Ordinis Patribus fuiſſe familiarem, ſatis conſtat ex diſpenſatione ſuper ea re ob duritiam cordis facta, per cujusdam Capituli Generalis decretum, in Monaſterio Salivævallis ante aliquot annos repertum, cujus hæc ſunt verba: Cùm plures noſtri Ordinis profeſſores hactenus Clauſtra ſubterfugiant propter aſperitatem & intolerantiam lectulorum, conceditur de miſericordia, quòd inter ſtramina & laneos Wambutia de lana, vel de burre tela cooperta in modum culcitrarum punctarum, vel etiam fultra in Dormitorio habeantur. Ita quòd longitudo earum ſex pedum tantùm, latitudo verò trium pedum & dimidii & non amplius, & ſpiſſitudo groſſitudinem unius digiti non excedat. Transgreſſores autem dictarum menſurarum, & dictæ ſpiſſitudinis, ſi convicti fuerint vel confeſſi, ſine diſpenſatione per viginti dies pœnæ ſubjaceant culpæ gravioris, & de cætero talibus remediis in Dormitorio non utan-

utantur, nisi de Capituli Generalis licentia speciali. Priores verò & illi, qui cum ipsis lectulos de quindena in quindenam scrutari tenentur, nisi eos proclamaverint in Capitulo, pœnæ per omnia subjaceant supradictæ.

Articuli sextus & septimus habentur expressi cap. 1. dist. 2. Statutorum tam antiquorum, quàm recentiorum, ubi præcipitur Abbatibus, ut in Dormitorio dormiant, & in Refectorio comedant.

Articulus octavus desumptus est ex cap. 1. Regulæ nostræ, ubi habetur, Sedentes ad mensam taceant audientes lectionem. Et ex cap. 4. ubi lectio perpetua his verbis præcipitur: Cùm acceditis ad mensam, donec inde surgatis &c. Innititur etiam hic articulus decreto Capituli Generalis postremi, ubi hæc verba habentur: Et ne solæ fauces sumant cibum. Renovatur etiam illa Capituli Generalis constitutio de lectione perpetua toto refectionis tempore. Capituli autem anni 1532. verba hæc sunt: E ut ipse Ordo frequentiori lumine fulgeat, Capitulum definit, quòd omni tempore in qualibet refectione lectura tam in Conventu, quàm in Refectorio habeatur. Quod etiam Capitulum anni 1542.

Articulus nonus antiqua Ordinarij Ordinis nostri, & consuetudinis nunquam intermissæ basi fulcitur.

Articulus decimus præter antiquam Monasterii Præmonstratensis, Laudunensis, & mul-

torum aliorum consuetudinem, habet Caput 2. Statutorum, in quo id expressè præcipitur.

Articulus undecimus communi Ordinis institutione & consuetudine nunquam intermissa nititur.

Articulus duodecimus excerptus est ex cap. 4. dist. 1. Statutor. antiquiorum, & ex cap. 5. recentior. & ex cap. 4. dist. 2. eorundem Statutorum, ubi Circator ad proclamationes ex officio faciendas constituitur.

Articulus decimus tertius conformis est toti distinctioni secundæ Statutorum tam recentiorum quàm antiquiorum. Ibi enim præscribuntur pœnæ in Capitulo quotidiano infligendæ, ad quas omnes, etsi articulus iste non obliget ex vi Reformationis, non tamen eas respuit, immò verò etiam pœnas graves præscriptas pro levissimis culpis amplectitur, quando culpæ illæ ex contemptu committi videntur.

Articulus decimus quartus, qui agit de Novitiatu secundo, nihil aliud vult, quàm Abbatem posse unicuique aliquod tempus semel præfigere, in quo, tanquam in Novitiatu, exerceatur in actibus quotidianis mortificationis & abnegationis sui ipsius, sicque ad perfectionem, ad quam ex vi professionis tenetur, studiosiùs & faciliùs, remotis propriarum passionum impedimentis, tendat. Hic autem articulus etsi ex Statutorum vel Regulæ Capitulis non sit desumptus, tamen propterea non

non videtur damnandus, cum ſit ad currendas perfectionis vias aptiſſimus, & ipſis Statutis vel Regulis non repugnet, immò verò plurimùm ad Statutorum & Regularum obſervationem juvet, ſintque per cap. 1. diſt. 2. Statutor. tam recentiorum, quàm antiquiorum omnia, quæ non ſunt contraria Statutis Ordinis, in diſpoſitione Abbatis.

Articulus decimus quintus deſumptus eſt ex capite 4. diſt. 1.' Statutorum Ordinis, ubi præcipitur, ut omni ſextâ feriâ ante prandium Diaconi & Subdiaconi, & cæteri, qui ſunt minoris Ordinis, confiteantur. Unde colligitur à fortiori, quòd Sacerdotes, quorum eſt ſacrum Chriſti Corpus ore conficere, ad Confeſſionem hebdomadariam teneantur, & quod Statuta Confeſſiones hujusmodi præſupponant à Sacerdotibus fieri, quando quidem ab eorundem miniſtris illas requirunt. Habet etiam vim hic articulus ex Capitulo generali poſtremo, cujus hoc eſt decretum: Capitulo ante Tertiam inſtituendo omnes interſint, & in eo ſemper præſideat aliquis Superiorum, qui ad diſciplinæ monaſticæ conſervationem quotidianos exceſſus & defectus corrigat juxta caput 5. diſt. 1. Statutor. Et quia Deus peccatores non exaudit, Sacerdotes ſemel ſaltem in ſeptimana, Novitii verò ſingulis ſaltem feſtis triplicibus ad pœnitentiæ ſacramentum accedant.

Articuli decimi ſexti antiquitas in Ordine noſtro colligitur ex cap. 3. Statut. diſt. 1. ubi hæc habentur: Ubi ſunt altaria pauca, & plures fuerint Sacerdotes, ſi ſimul omnes legere non poterunt, leget unus poſt alios ſine intervallo; ſi autem præ multitudine aliquis ſacerdotum legere non potuerit, poterit de licentia ejus, qui præeſt Conventui, legere poſt Evangelium majoris Miſſæ, quod aliter eſt cavendum.

Articulus decimus ſeptimus deſumptus eſt ex cap. 22. diſt. 4. Statutorum.

Articulus decimus octavus fulcitur decretô cap. 10. diſt. 2. Statut. quod ſic habet: Et tam ipſe Proviſor, quàm omnes alii, qui bona Eccleſiæ recipiunt, & expendunt, coram Abbate & duobus, vel tribus, vel etiam pluribus (ſi opus fuerit) de maturioribus Eccleſiæ, quos Abbas Eccleſiæ vocaverit, computum reddant ad minus ſemel in anno, ſcilicet circa feſtum beati Martini hyemalis, aut aliàs juxta morem cujuslibet Eccleſiæ ſeu loci.

Articulus vigeſimus habet vim ex vita S. Norberti, à Surio & aliis conſcripta. Ibi enim quo zelô Religionis ſuæ propagandæ teneretur ſatis conſpicitur, adeo ut nulli labori parceret, ut inſtituti ſui ſocios lucraretur. Unde cum inſtitutum illud Mariani reſumpſerint, mirum nemini eſſe debet, ſi ad illud propagandum ſeſe aſtrinxerint.

Arti-

Articulus vicesimus primus conformis est illi Regularum nostrarum particulæ, quæ monet Superiorem, ut consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes, disciplinam lubens habeat, metuendus imponat. Optimus enim modus consolandi pusillanimes, suscipiendi infirmos, patientiam habendi ad omnes, disciplinæ sese subdendi, & cum metu aliis disciplinam imponendi, est curare, ut eorum gravamina tacitè excipiantur, & nunc consolando, nunc liniendo, nunc patiendo, nunc disciplinæ austeritatem in se exercendo, & in gravatis in minuendo tollantur.

Articulus vicesimus secundus desumitur ex capitibus 6. & 7. & aliis dist. 1. Statutor. ubi tempus distribuitur tam in æstate, quàm hyeme. Circa distributionem autem illam temporis omnimoda tribuitur Superioribus dispositio cap. 6. cit. his verbis: Hæc & cætera huic tempori, quantum ad laborem, refectionem, dormitionem, & lectionum vacationem congrua, quia ubique æqualiter observari non possunt, unaquæque Ecclesia faciat secundùm positionem locorum, & dispositionem Abbatis sive Prioris, absente Abbate, servatâ tamen per omnia Ordinis honestate.

Articulus vicesimus tertius continens meditationis obligationem, vim habet ex cap. 2. dist. 1. Statutor. ubi hæc verba habentur: Et

 exple-

expleta corporum neceſſitate devotis orationibus ſeu ſanctis meditationibus animum ſuum ſacris vigiliis præparantes, intentionem ad Dominum convertant, in cellis ſuis quietè manentes, ibique invicem exſpectantes.

Quod autem attinet ad reliquas ejusdem articuli obligationes, etſi in Statutis vel Regulis noſtris non habeantur expreſſæ, tamen adeò ſunt ad vitam ſpiritualem traducendam & ad exercitium perfectionis proficuæ, ut nonniſi vitæ ſpiritualis & perfectionis contemptores eas damnare queant. Accedit, quòd neque Regulam, neque Statuta deſtruant, immò verò nos ad eorundem obſervantiam ſuaviter ducant. Quid enim ſuavius quotidiano examine conſcientiæ ad mores noſtros ſecundùm Statuta & Regulam componendos? quid efficacius recollectione annuâ & generali confeſſione ad Regulam noſtram obſervandam? quid renovatione profeſſionis & viſitatione annuis ad manutenendam diſciplinam regularem efficacius? Horum enim omnium ope Religioſus levans ſe ſupra ſe, agnoſcit obligationem, quam habet ad vota, Regulas & Statuta ſua, ſicque facilè ad eorundem obſervationem ducitur, ne declinans in obligationes adducatur cum operantibus iniquitatem, & ne perditionem ſuam in officina ſalutis operatus fuiſſe inveniatur. Accedit, quòd Viſitatio annua habetur cap. 9. de annuis Circatoribus diſt. 4. Non enim annui Circatores dicuntur

cuntur nisi ab annua visitatione, quæ ibidem injungitur. Renovatio autem annua professionis Religiosis ejusdem Monasterii grata & chára esse debet, quandoquidem ad id per Summi Pontificis Indulgentias, renovantibus in eodem Monasterio professionem concessas, invitantúr.

His articulis lectis & examinatis, reperimus esse Statutis partim novis, partim antiquis conformes, vel ad ea facilè reduci posse, & ad eorundem exactam Reformationem plurimùm juvare, nihílque continere, quod Ordinem Præmonstratensem destruat, quin potiùs restituat, & perficiat, ac propterea dicimus, omnes Ordinis nostri professores ad eorundem observationem potiùs esse hortandos, prout per præsentes hortamur, quàm ab illa deterrendos, prout nonnulli minùs discretè faciunt.

His peractis ad professionis formam, qua utuntur, considerandam nos convertimus, reperimúsque, illam nostræ esse conformem, nihílque à nostra distare, nisi quòd obedientiam ad prædictos articulos extendat, & profitentem de suæ professionis scopo instruat, nostrámque clariorem reddat, ac propterea retineri posse.

In quorum fidem & robur præsentes chirographo & sigillo nostris in præfato S. Mariæ Majoris Monasterio die quarto Junii, anni millesimi sexcentesimi decimi sexti munivimus

vimus. *Sic ſubſcriptum.* F. P. Goſſetius Abbas Præmonſtratenſis & totius Ordinis Generalis. Et eſt impreſſum ſigillum ejusdem Reverendiſſimi Generalis ductâ transverſim per ejus medium parvâ chartulâ.

ANNOTATIONES AD ARTICULOS SUPRA SCRIPTOS.

ARTICULUS I.

Communitas victûs & veſtitûs.

HIc articulus nullum admittit peculium particulare, nec ullam pecuniæ ſummam pro veſtiario annuatim diſtribui permittit; & non minùs Abbatem obligat, quàm Religioſos, niſi fortè ſeparatio menſæ, legitimâ authoritate ſtabilita, dividat Abbatem à Religioſis; tunc enim Religioſi tenerentur communitatem illam victûs & veſtitûs inter ſe exactè ſervare; Abbas verò quosvis proprietatis actus evitare, relictámque ſibi bonorum Monaſterii partem in uſus ſuos paupertati Monaſticæ conformes, deinde in uſus pios expendere.

Subſiſtente autem communitate victûs & veſtitûs inter Abbatem & Religioſos, Abbas non poterit, niſi in re levi, vel ad inſtar Superiorum, qui ſecundùm conſtitutiones ſuas

suas regulares vivunt, bona Monasterii in alios usus distribuere, quàm Fratrum & pauperum, sine consensu trium Seniorum Conventûs: ut autem nihil omnino proprium habeat, ea, quæ sibi necessaria erunt, quoàd victum & vestitum, ac alia accipiet ab Officialibus constitutis, nec poterit in modum sæcularium instituere, vel frequentare convivia, sed in modum eorum, qui secundùm Constitutiones suas regulares vivunt.

ARTICULUS II.

Statutorum Ordinis Præmonstratensis observatio, in quantum Statuta illa continent ea, quæ dicuntur substantialia ejusdem Ordinis, id est, ea sinè quibus vita regularis in eodem Ordine vix stare potest.

PEr Substantialia Ordinis nostri non intelligimus tria vota, nam substantialia ab essentialibus sic distinguimus, ut per essentialia intelligamus sola tria vota, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, ex quibus omnis Religio Monastica, tanquam suis partibus essentialibus, constat. Per substantialia verò intelligimus ea, sinè quibus vita regularis, & vota ipsa, in tali Ordine vix stare possunt, qualia sunt ea penè omnia, quæ his

his articulis continentur, & quæ in Profeſſione noſtra (exceptis tribus votis) habentur, ut correctio morum, emendatio vitæ, ſtabilitas in loco, inſtitutio vitæ ſecundùm Regulam D. Auguſtini. Sunt autem alia quædam ſubſtantialia in Statutis memoratis, ut diſcreta Novitiorum receptio, eorundem recta inſtitutio, Ordinandorum exacta diſcuſſio, bonorum tam temporalium, quàm ſpiritualium Communitatis per Officiales Religioſos adminiſtratio, Miſſarum Ordinis & dotatarum celebratio, Divini officii debita diſtributio: Infirmorum debita ſollicitudo; diligens ac ſedula portæ Monaſterii cuſtodia, permutationum & alienationum prohibitio, viſitationis annuæ acceptio, ejus in Abbatem electio, qui vitâ, ſcientiâ, & ætate dignus, & idoneus exiſtimabitur ad officium Abbatiale. Denique quod maximè ſubſtantiale eſt in eisdem Statutis, eſt Communitas victûs & veſtitûs, & ea Ordinis peculiaria vota, & præcepta, quæ ad confirmandam votorum eſſentiam, & communem vitam, victum & veſtitum reſpectivè pertinent. Supradicta omnia appellamus ſubſtantialia Ordinis noſtri, quia ſubſtantia vitæ regularis, & votorum, ſine illis in Ordine noſtro vix ſtare poteſt, & quia Ordo noſter ab aliis per illa ſimul ſumpta fermè diſtinguitur. Quid autem ſit ſtabilitas illa in loco à nobis in Profeſſione emiſſa, declara-

clarabitur in praxi Statutorum noſtrorum cap. 12. diſt. 1.

ARTICULUS III.

Abſtinentia perpetua à carnibus, & jejunium ab Exaltatione S. Crucis, usque ad Paſcha, quamdiù illa non impedient erectionem Congregationis Reformatorum.

Hìc renuntiamus diſpenſationi Pontificiæ, qua in principio Statutorum noſtrorum abſtinentia illa perpetua commendatur in jejunium Adventûs & dierum Veneris, & in abſtinentiam Septuageſimæ & dierum Mercurii, ídque ad majoris pœnitentiæ (in qua conſiſtit Religionis Monaſticæ ſtatus) exercitium, & ad vitam noſtram Sanctæ Patrum noſtrorum vitæ conformandam, caſtitatémque noſtram iisdem armis, quibus illi, tutandam.

Sicut autem per hunc articulum diſpenſationi illi renuntiamus, ita quoque alteri, qua licet nobis itinerantibus ob negotia Monaſterii comedere carnes, ídque ne evagationes & peregrinationes fruſtra multiplicentur ad veſcendum carnibus, niſi fortè occurrant caſus, in quibus Superior judicet, cum duabus tertiis partibus ſuffragiorum, utendum eſſe

esse illa dispensatione; privilegio autem illo utemur in Congregationibus Ordinis nostri, & in cursu visitationis aliorum Monasteriorum, ne visitati nimiùm molestentur in perquisitione piscium, fingántque sibi visitationem propterea odiosam esse.

Circà hunc articulum aliquot alia notanda sunt: imprimis, quòd etsi per illum renuntiemus prædictæ dispensationi, non intendimus tamen, nos sic ad illam abstinentiam perpetuam obligare, ut supra scriptâ dispensatione uti non possimus, in casu, quo hæc abstinentia perpetua, à nobis resumpta, impediret Congregationis bene stabilitæ erectionem, & adjunctionem aliorum Monasteriorum ad nostram Reformationem, sub alicujus Congregationis bono regimine, ídque ne videamur aliorum saluti deesse.

Deinde notandum est, quod etsi, tam intra, quàm extra Monasterium, privamus nos carnium esu, juxta primævum Ordinis morem, non tamen postulante aliter morbo, cujus judicium Prælato relinquitur per Urbanum Pontificem, prout reperitur inter Ordinis nostri Privilegia, neque urgente charitate, uti si ad cooperandum alicujus Monasterii saluti esset aliquis nostrûm præficiendus in Priorem, vel aliter concedendus, tunc enim licebit ei cum comedentibus carnes etiam comedere.

Tertiò notandum est, quod, ut jejunium illud ab Ordinis nostri fundatione, & institutione

tutione ad annum circiter 1500. ſanctè religioséque per Majores noſtros obſervatum, & à nobis reſumptum, faciliùs obſervetur, & ejus obſervatio perduret, in qualibet collatione miniſtrabitur menſura vini, quæ vulgari idiomate *chopine* vocatur extra Adventum autem, & jejunia Eccleſiaſtica, ſemper aliquid radicum, ſive *ſalade*, vel fructuum vel caſei cum quinque, vel ſex unciis panis cuique porrigetur: in jejuniis verò Eccleſiaſticis ſufficiunt quatuor unciæ.. Deinde Superior ſingulis hebdomadibus aſſignabit, extra Adventum & jejunia Eccleſiaſtica, diem, in quo collatio erit major, quàm aliis diebus, videlicet cum radicibus, pomis, prunis & ſimilibus: eadem etiam collatio locum habebit in ſingulis feſtis triplicibus, & duplicibus extra Adventum & jejunia Eccleſiaſtica: & quia ab hoc jejunio in Statutis noſtris excipitur dies natalis Domini, ob reverentiam tanti feſti, exceptione illâ utemur: iter autem ſuſcepturi accipient ante receſſum ſuum à Superiore poteſtatem cœnandi, ſi opus fuerit. Cùm converſis etiam diſpenſabitur, ſi opera eorum fuerint adeò gravia, ut jejunare eos non patiantur. Illis etiam extra jejunia Eccleſiaſtica, & Adventum porrigetur media panis libra in collatione.

Quod verò attinet ad munitiones hyemales, fient cum ſupradictis collationibus majoribus, & prima, quæ eſt Septembris, fiet ante

ante Exaltationem S. Crucis, ſicque anticipabitur in æſtate ad cœnandum, ſecunda fiet immediatè antè Adventum, tertia mediatè antè Adventum, tertia immediatè ante Quinquageſimam. Huic jejunio hyemali addiderunt Fratres quædam æſtivalia, ut rogationum dierum Veneris, quando non occurret aliud jejunium eâdem hebdomadâ, Vigiliarum Venerabilis Sacramenti, S. Mariæ ad nives, Viſitationis, Nativitatis, & SS. Norberti & Auguſtini, & ad illa ſeſe etiam per hunc articulum aſtrinxerunt.

ARTICULUS IV.

Silentium Regulare.

SIlentium regulare appellamus illud, quod eſt ſecundùm Regulas, & Statuta Ordinis noſtri. Porrò inter quatuor loca, videlicet Clauſtrum, Refectorium, Templum, & Dormitorium, & alia Monaſterii loca, hæc eſt diſtinctio, quòd ſilentium in illis quatuor locis nunquam, niſi ſubmiſſà voce, & veluti in aurem, ídque breviſſimè, & quando neceſſitas cogit, ſolvi debeat, nec licentia ſolvendi illud in illis locis petatur; in aliis verò locis tempore colloquii, & recreationum quotidie loqui permittatur, ſicut etiam quando cum ſecularibus, vel regularibus miſcenda ſunt, etiam extra recreationes, colloquia; ſi tamen cum

cum bona venia per quatuor illa loca ducendi ſunt regulares externi, vel ſeculares, licebit quidem loqui in illis, non tamen protrahendo colloquia (ad id enim ſunt loca expreſsè deſtinata, ut porticus, ſive auditoria, quæ *Parloirs* vulgariter nuncupamus) ſed breviter illis reſpondendo, vel ad quid quisque locus regularis inſtitutus ſit, declarando.

ARTICULUS V.

Laneorum uſus, cum ſola culcitra ſtraminea.

HIc articulus obligat nos ad induſia lanea, & ad linteamina (ſi quibus utimur) lanea, ſuper culcitram ſtramineam, & privat nos lectis plumeis, & culcitris laneis: Nolumus autem nos ad dormitionem nocturnam, cum omni veſtitu diurno, obligare, ſed tantùm cum eo veſtitu, qui nuditatem cooperiat, qualia ſunt induſia lanea, & femoralia, & alia, quibus induimur interdiu ſub tunica, detractis calceis & tibialibus, potiſſimùm in æſtate, niſi aliter alicujus ſanitas, Superiori declarata, poſtulet. Additum eſt (ſi quibus utimur) quia etſi Abbas teneatur ſuppeditare linteamina illa, quando fratres requirunt, tamen non habemus hìc uſum, niſi unius inferioris, ad tegendam culcitram ſtramineam, & compenſandum exiguum calorem, quem fovet culcitra illa ſtraminea.

ARTICULUS VI.

Dormitio in Dormitorio.

Hôc articulô non minùs Abbas ligatur, quàm Religiosi, ídque ut suis exemplo sit, & excubias cum eis agat, disciplinámque Dormitorii non minùs, quàm alii, ante & post Matutinas, Primam, & Completorium tenere possit: si tamen adeò infirmus, vel senex fuerit, ut Dormitorium difficulter possit conscendere, & descendere toties, quoties administratio, quam habet, requirit, poterit lecticam suam, in altero cubiculorum sub Dormitorio existentium, habere, nisi fortè per separationem mensæ authoritate Pontificiâ factam, illi aliæ ædes præscriberentur; tunc enim Conventus non teneretur illi ullum ex illis cubiculis, vel aliis in ambitu Religiosorum contentis concedere: Imò verò non expediret, si Abbas esset Commendatarius, vel Regularis quidem, sed non secundùm Reformationem vivens, tunc enim expedit, eum in ædibus suis assignatis habitare & dormire, ne suorum famulorum & hospitum multitudine, frequentiâ & strepitu disciplinæ regularis exercitium perturbet.

Religiosi autem nunquam debent extra Dormitorium jacere, nisi charitas, vel necessitas, vel bonorum Monasterii administratio cogat, ídque cum bona Superioris venia, qui nunquam

quam id permittere debet, si peccati periculum immineat.

Articulus VII.

Comestio in Refectorio.

ABbatis est etiam comedere in Refectorio, ad temperantiæ & sobrietatis exercitium, nisi fortè ætas vel infirmitas, vel supervenientes hospites impediverint, vel negotium aliquod suæ administrationis occurrerit, vel inter Abbatem & Fratres existat mensæ separatio, tunc enim non teneretur, vi hujus articuli, ad comestionem in Refectorio; ab hac comestione in Refectorio possunt alternatim excusari Officiales, videlicet, Cellarius & Provisor, si Superior judicaverit expedire, quod tamen raró, & non nisi urgente charitate, & necessitate, debet permittere.

Articulus VIII.

Lectio perpetua in mensa.

HÆc lectio ligat tantummodò in Refectorio; etsi enim expediret, etiam in mensa Abbatis, quotiescunque abest à Refectorio, lectionem fieri, tamen quia id plerumque hospitibus molestum esset, hic articulus non inducit obligationem, quamvis Abbas esset ad aliquantulam lectionem exhortandus, ex Sta-

* Antiquorum. tutorum * noſtrorum dictamine Cap. I. diſt. 2. quotiescunque hoſpites id patiuntur.

Articulus IX.

Quotidianum Horarum Canonicarum, & Beatæ Virginis, penſum.

Hôc articulô obligatur quilibet Profeſſus hujus Monaſterii Choro addictus, ad recitationem Horarum Canonicarum, & Beatæ Virginis. Nota tamen, ſufficere penſum Horarum Canonicarum in Feſtis B. Virginis, nec obligationis tunc eſſe, recitare parvum Officium, ſed tantùm devotionis, ut legitur in articulis Capituli cujusdam Generalis Ordinis noſtri.

Articulus X.

Matutinarum Officium mediâ nocte.

Hic articulus nullâ eget explicatione, quandoquidem manifeſtè explicatur Cap. I. Diſt. I. Statutorum noſtrorum, ad hoc tamen nullus extra Monaſterium tenebitur; Converſi autem ad id tenebuntur juxta diſcretionem Superioris, qui attentis eorum operibus, & obedientiis, eos ad hoc coget, vel abſolvet. Nota, quòd hic articulus non obligat

ligat nos ad cantum Matutinarum; etsi enim ad id teneamur, non tamen vi hujus articuli.

ARTICULUS XI.

Habitus totaliter candidus, tam quoàd tunicam, quàm scapulare, caputium, & cappam, cum ea forma, quam habent in Ordine nostro.

HIc articulus etiam est manifestus, nunquamque dispensandum est, nisi ob causas assignatas in nostra Optica Regularium Spec. 66. Pilei autem & galeri debent esse albi, exceptis pileis Doctorum, qui, ex privilegio, sunt cerulei.

Ad Doctoratum autem, & alios Theologiæ gradus, non admittatur ullus, qui pridie promotionis suæ non renuntiaverit prætensis omnibus in Ordine nostro privilegiis, sesèque juramento ad observationes & correctiones regulares, & ad exactam Reformationis observationem, & ejusdem procurationem in aliis Fratribus, tam hujus Monasterii, quàm aliorum, non astrinxerit, & ad abstinendum à pileo ceruleo, quotiescunque Abbas regularis, Reformationis in se, & in aliis tenax, hìc & nunc ad duas, & tertias partes suffragiorum ordinaverit: non poterit tamen Abbas hoc privilegium absolutè tollere, & prohibere

hibere alicui, ne unquam utatur, niſi fortè in pœnam criminis, vel ſcandali perpetrati, vel neglectûs Reformationis, ídque non niſi cum conſilio Prioris & Supprioris.

ARTICULUS XII.

Proclamatio culparum in Capitulo quotidiano.

HIc articulus eſt ſatis perſpicuus ex Cap. 5. Diſt. 1. Statutorum, & ex tribus Capitibus Diſt. 3. ubi proclamatio duplex inſinuatur eſſe, prima ſui ipſius, altera alterius.

ARTICULUS XIII.

Correctio earundem in eodem loco imponenda à Præſide ejusdem Capituli, juxta dictamen Statutorum, pro exceſſibus, vel defectibus majoris momenti, vel ex contemptu.

IN tertia Diſtinctione Statutorum noſtrorum imponuntur plurimæ pœnæ, eæque graves, pro levibus admodùm culpis, utpote correctiones diſciplinæ, ad quas non intendimus nos obligare per hunc articulum, ſi per correctiones diſciplinæ intelligantur verberationes, ſive vapulationes, ſed tantùm in caſu, quo

quo culpæ illæ committerentur ex contemptu vero, vel interpretativo. Sicque illas pœnas planè interpretandas putamus. Ex contemptu autem interpretativo aliquid fieri intelligimus, quando quis in eandem culpam frequenter relabitur, nec ullum edit diligentiæ ad illam evitandam, vel tristitiæ in illo frequenti lapsu, signum, vel certè valde exiguum. Culpæ autem nimis leves respectu tam ignominiosarum pœnarum ex dictamine Statutorum, secundùm quorundam interpretationem, injungendarum, videntur nobis omnes illæ, quæ in Cap. 1. Dist. 3. Statutorum continentur, ac propterea unius tantùm aut alterius psalmi recitationem, vel quid simile, adjuncto nonnunquam aliquo humiliationis, vel mortificationis actu publico, in Refectorio, vel alibi, vel subtractâ aliquâ cibi vel potûs portiunculâ, imponimus: Culpæ verò in 2. & 3. Cap. contentæ, sunt quidem graviores præcedentibus, non videntur tamen tales, ut correctiones disciplinæ (ut quidam interpretantur) corporalis mereantur, nisi fiant ex contemptu vero, vel interpretativo, aut certè eorum malitia tanta sit, ut esse peccatum mortale videatur; quare illas, sicut præcedentes, juxta earum qualitatem punire solemus, adjunctis non nunquam jejuniis, quæ in præfatis Cap. 2. & 3. præscribuntur. In 4. autem Cap. continentur duplices culpæ, priores sunt veniales tantùm, ac propterea illis

illis pœnas gravioris culpæ non infligimus, ſed ſicut de Superioribus diſponimus; poſteriores verò, quæ incipiunt ab his verbis (*ſi quis verò per contumaciam, vel manifeſtam rebellionem*) quia ſunt mortales, pœnas gravioris culpæ merentur, ac propterea eas, prout in eodem Capite præſcribitur, punimus, niſi pœnitentis utilitas ſpiritualis aliud requirat, ſicut etiam cæteras omnes culpas, quæ in ſequentibus ejuſdem Diſtinctionis Capitibus commemorantur, tales enim culpas manifeſtum eſt eſſe exceſſus, vel defectus majoris momenti.

Articulus XIV.

Novitiatus ſecundus.

HIc Novitiatus pendebit ab Abbate, inſtituetúrque ad nutum ejus, adhibitô ad hoc Prioris & Magiſtri Novitiorum conſiliô, ac durabit totô annô, vel minùs, prout ſupradictis videbitur expedire.

Articulus XV.

Confeſſio hebdomadaria.

PEr hunc articulum quilibet Profeſſus tenetur ad Confeſſionem ſemel in hebdomada hìc, vel alibi, faciendam.

Arti-

ARTICULUS XVI.

Accessus Sacerdotum ad Altare pene quotidianus, & non Sacerdotum ad sacram Sinaxim hebdomadarius.

PEr hunc articulum sicut obligantur Sacerdotes facere pene quotidie Sacrum, nisi legitimum impedimentum occurrat, ita etiam non Sacerdotes singulis hebdomatibus communicare.

Nota autem, neminem debere abstinere ab accessu memorato, nisi priùs se non posse accedere Superiori significaverit, etsi ad id per hunc articulum non astringatur.

ARTICULUS XVII.

Recta bonorum temporalium Monasterii, per Officiales, administratio.

HIc articulus non solùm ligat conscientiam Abbatis, qui est supremus administrator, sed etiam Officialium, utpote qui sunt subordinati administratores, & reddere tenentur coram Deo rationem villicationis suæ, usque ad novissimum quadrantem. Est igitur,

quod Abbas, & cæteri Officiales cum timore administrationi suæ incumbant, & fideliter illam exequantur, ne bonorum Crucifixi dilapidatores, & paupertatis promissæ violatores, in die furoris inveniantur.

Porro stante mensâ communi, inter Abbatem & Religiosos, non poterit Abbas per se, sed mediantibus Officialibus Religiosis, curam rei familiaris gerere, nec immediatè, sed mediantibus iisdem Officialibus, necessaria Fratribus ministrare; ita tamen ut Officiales, ad nutum Abbatis, necessaria illis ministrare teneantur: Pecunias autem, quando opus erit, accipit Abbas à Provisore, qui illarum rationes aget coram deputatis à Conventu, qui ad Capitulum annuum referent, si hac in parte peccatum sit. Si autem mensa fuerit authoritate legitimâ, inter Abbatem & Religiosos, separata, Abbas mensæ suæ bona poterit administrare, & Prior curam supremam habebit bonorum mensæ Conventualis, quæ bona mediantibus Officialibus, à Conventu deputatis, administrabuntur, tenebitúrque Abbas regularis, in Reformatione vivens, satagere, ne bona malè, & prodigaliter administrentur; coram deformato autem non tenebuntur Religiosi rationes bonorum Conventualium agere.

ARTI-

Articulus XVIII.

Conſervatio titulorum, ſive documentorum, ſigilli, & pecuniæ, ſub triplici clave.

ABbas, ſtante mensâ communi, alteram clavium illarum habebit, & duo alii, alias: poterit tamen Abbas hanc ſuam clavem alii committere cuſtodiendam: Factâ autem ſeparatione menſæ, Prioris erit illam habere, & cuſtodire. Porro non obſtante illâ ſeparatione, tituli ſive documenta bonorum Monaſterii ſemper manebunt ſub triplici clave; Si autem Abbas opus habuerit, ad tuenda ſua bona, ſuppeditabuntur illi copiæ authenticæ ejus expenſis, vel originalia, cum cautione de illis reſtituendis.

Articulus XIX.

Acceptorum & expenſorum rationes exhibendæ ſingulis menſibus.

HIc articulus ligat Officiales, non Abbatem, cum non debeat niſi per Officiales Religio-

giosos administrare, tenetur tamen ipse cogere Officiales ad has rationes coram se, si licet per otium, & coram deputatis à Conventu; expedit enim, ut Conventus deputet rationum auditores, & Abbas constituat Officiales: Stante mensâ communi & Abbate secundùm Reformationem vivente, oportebit sequi Bullæ Pontificiæ directionem, sicut etiam Congregationis, si erecta fuerit: articulorum enim omnium interpretatio, & moderatio ab illa Bulla divisionis bonorum & Congregationis (si quam Deus suscitaverit) pendebit.

Articulus XX.

Procuratio Reformationis hìc & ubique.

PEr hunc articulum tenetur quisque, omnem suam operam impendere, pro Reformatione hìc conservanda, & alibi introducenda.

Articulus. XXI.

Auditio gravaminum, quæ Religiosis occurrere solent.

DEputatus ab Abbate, audiet semel in anno gravamina cujusque, tenebitúrque in conscientia referre, tacitis gravatorum nominibus, Abbati illa gravamina, si fuerint alicujus momenti, & Abbas tenebitur etiam in conscientia illis mederi, si cognoverit esse alicujus momenti, & perturbare pacem Conventûs; Sicut etiam audire monitorem sibi à Conventu in annuo Capitulo deputatum, quotiescunque accedet, cujus officium erit monere eum secretè, & cum debita reverentia, & eadem referre, quæ ab aliis audierit, tacitis eorum nominibus, si alicujus momenti esse videantur.

Articulus XXII.

Fructuosa temporis diurni & nocturni distributio.

HIc articulus non obligat ad eandem semper distributionem temporis, sed ad distributionem fructuosam, quæ pro varietate temporum,

porum, vel lectionum variari, potest, & variata debet à Communitate observari.

Articulus XXIII.

His additur Examen conscientiæ, meditatio quotidiana, Recollectio annua cum Confessione generali totius anni, & renovatio annua Professionis, cum Juramento de acceptanda visitatione, & de nulla acceptanda, vel procuranda dispensatione super prædictis, præterquam à Sancta Sede, & de eligendis Abbate & Priore optimis, quando opus erit, & de beneficio vel dignitate, vel Prælatura, vel Prioris officio hujus Monasterii, directè vel indirectè non procurandis.

HIc non limitantur locus & tempus examinis conscientiæ, meditationis, Confessionis generalis, recollectionis annuæ, renovationis Professionis, & Juramenti de acceptanda visitatione annua; sed illud directioni Abbatis relinquitur, qui tamen debet loca & tempora, quæ erunt supradicto articulo ordinata, passim immutare, sine sanioris partis Conventûs consilio.

Per

Per viſitationem annuam, intelligimus eam, quæ in caſu, quo nulla Congregatio Reformatorum noſtri Ordinis fieret, inſtituenda eſt ab Abbate hujus Monaſterii, ſecundùm Reformationem vivente, aſſumpto ſecum Secretario, ſi expedit, & adhibitis, antequam conſtitutiones faciat, ad conſilium ſuum, Priore & Magiſtro Novitiorum recenter conſtitutis, quorum officium erit ſuggerere Abbati, quæ videbuntur præcipienda, & prohibenda, pro conſervatione Reformationis; & ſicut illi tenebuntur in conſcientia, illi ſuggerere, ſic Abbas tenebitur in conſcientia, conſilium illorum ſequi, ſi rectum eſſe deprehenderit.

Abbas igitur, feriâ quintâ Septuageſimæ, vel alio tempore commodo, habitâ ad Fratres Capitulariter exhortatione per ſe, vel per alium, cujus verbum & opus ſint efficacia, omnes Officiales ab Officiis abſolutos, exceptis Cellario, & Veſtiario, Proviſore, & pecuniarum cuſtodibus, à Conventu eodem tempore deputandis (ſi menſa ſit ſeparata) declarabit, & alios conſtituet, vel eoſdem omnes, vel partem illorum ad hujuſmodi officia reaſſumet, ante octo dies elapſos. In caſu, quo Abbas eſſet Commendatarius, vel Regularis quidem, ſed non viveret ſecundùm Reformationem, Prior in illa viſitatione fungetur vice Abbatis, abſolvétque & inſtituet Officiales; ipſe verò eligetur à Conventu, ſi duæ tertiæ partes conſenſerint.

Ele-

Electus, vel constitutus juramentum præstabit, sicut cæteri Officiales, de conservanda Reformatione, & bonis bene & fideliter administrandis, eligetúrque occultis suffragiis, præviis Confessione, Communione & Juramento, sicut infra declarabitur, Abbatem esse eligendum. Infra triennium autem deponetur à Conventu, præviâ monitione Capitulari, si scandalum commiserit, vel grave aliquod peccatum exteriùs perpetrarit, vel exactus Reformationis observator non fuerit, vel per ejus negligentiam dignoscatur Reformatio pessum ire.

Circa Juramentum de eligendo Abbate optimo, Nota, quòd, ut rectè fiat electio, tenebuntur omnes Fratres, sese ad hujusmodi electionem præparare, per Confessionem auricularem, celebrationem Missæ, vel Communionem, & auditionem exhortationis de electione secundùm conscientiam habenda, & hac præparatione factâ tenebuntur supradictum juramentum præstare, super Summum Altare, videlicet, quòd eum, quem advertent maximè probum, mortificationis cupidum, Reformationis tenacem, & ad rectam administrationem idoneum, eligent in Abbatem.

Omnes autem eligibiles illi juramento aliud addent, videlicet, quòd non resignabunt, nisi ad duas tertias partes suffragiorum, & quòd secundùm Reformationem suprascri-

ſcriptorum Articulorum vivent, & alios quantum in ſe erit, ad eandem vitam cogent, & ſtante mensâ communi, viginti Canonicos, ad minus, habebunt Choro huic Stæ. Mariæ Majoris addictos, non computató eô, qui celebrabit Miſſam in Monaſterio Stæ. Mariæ ad nemus, & eô, qui præerit Seminario, quos honeſte nutrient & veſtient, cum tribus, aut quatuor Converſis, eorundem Canonicorum obſequio in culina, porta, & alibi deputatis: & quòd in caſu, quo ſupradictam Reformationem non obſervabunt, Priorem, & Suppriorem, & cæteros Officiales à Conventu eligi permittent, & electis confirmationem non negabunt; Imò verò quod acquieſcent depoſitioni ab officiis, & dignitate Abbatiali, à Conventu poſt trinam monitionem faciendæ, & electioni novæ, in caſu quo ſupradictam Reformationem non ſervabunt, vel alios ſervare non cogent, vel grave aliquod peccatum, quod in actum externum prodierit, commiſerint, ſi de eo convincantur, & apertè conſtet; Tunc enim teneatur Capitulum annuum, præſidentibus duobus electis, vel ad tempus, vel in perpetuum, pro gravitate Criminis Abbatem deponere, præcipuè verò, ſi in copulam carnalem inciderit, ſi aliquem occiderit, ſi bona Monaſterii diſſipaverit donationibus, vel alienationibus, vel ſuperfluitatibus equorum, vel

conviviorum, vel cursitationum inutilium, vel in errorem contra fidem lapsus fuerit, & eo ipso, quo ab electis ad id deputatis, præviâ trinâ monitione Capitulari, depositio fuerit pronuntiata in Capitulo, sit de facto depositus, ut nullus audeat ipsi obedire, sub pœna excommunicationis ipso factô incurrendæ, eligatúrque statim alius, cui omnes sub eadem pœna obediant, & Officiales omnes adhæreant.

Atque hæc fermè sunt, circa quæ versatur nostra Reformatio, & quæ videntur sic esse substantialia nostræ Religioni, ut Religionis essentia, sive substantia, quæ consistit in votis, sine illis vix possit stare, & conservari, sive perdurare. Quare si sumus votorum emissorum cupidi obsérvatores, supradicta omnia ambabus ulnis amplecti, & in praxim redigere maximè debemus; monente D. Bernardo, *Solliciti estote circa disciplinam Ordinis, ut Ordo vos custodiat.*

Porro circa omnia prædicta primò Notandum est, quòd Abbas poterit hìc & nunc justa de causa cum hoc, vel illo, dispensare in illis Articulis, sicut poterat ante; sed dispensare absolutè cum omnibus de aliquo Articulorum præcedentium, hoc est, eximere absolutè ab observatione alicujus articuli, non licebit.

Notan-

Notandum est secundò, quòd inter articulos memoratos, multi sint, qui non obligant singulos Fratres, sed Communitatem, vel aliquos ex Communitate, non enim quisque servare tenetur titulos, vel corrigere proclamatos, sed prout fert cujusque conditio: Hinc est, quòd Conversus, vi horum articulorum, non teneatur ad officium Horarum Canonicarum, vel B. Virginis, vel ad Matutinas mediâ nocte; sed tantummodò tenetur procurare, quantum potest, ut Communitas illa perficiat.

Notandum est tertiò, quòd communibus suffragiis decretum fuit, quòd beneficium nemini conferetur, qui non juraverit se rediturum, & beneficio renuntiaturum, quoties Superior Monasterii judicaverit expedire. Nota etiam decretum esse Capitulariter ab Abbate, Coadjutore, Priore, Suppriore, Magistro Novitiorum, & cæteris Fratribus, quòd Conventus non tenebitur acceptare Priorem, Suppriorem, Magistrum Novitiorum, ab Abbate etiam reformato, vel Priore electo, nisi fuerint Reformationis tenaces in se, & in aliis, & quòd propter easdem causas erit privandus potestate stabiliendi Priorem, & cæteros Officiales, propter quas venit privandus sua dignitate.

Denique notandum, quòd etiam decretum est Capitulariter, quòd occurrente aliquo dubio circa suprascriptos articulos, vel eorum annotationes, poterit Capitulum ad pluralitatem suffragiorum, Abbate duplex suffragium habente, & in æqualitate suffragiorum præeminentiam, solvere dubium, & illi solutioni poterit quilibet sine scrupulo credere, & secundùm illam se gerere.

Acta, & Decreta Capitulariter ab Abbate, Coadjutore, Priore, Suppriore, Magistro Novitiorum, & cæteris Fratribus, unanimiter recepta in Monasterio novo Sanctæ Mariæ Majoris. In quorum fidem, & robur præfati, cum Secretario, subscripsere in prædicti Monasterii Capitulo, die vigesimâ quartâ Februarii, anni 1613.

* * *
* *

DECRE-

DECRETA
ET
MONITA

Capitulorum annuorum in Communitate Antiqui Rigoris Ordinis Præmonstratensis celebratorum ab anno 1620. quô se Patres primi ejusdem Communitatis in præsentia R^mi^. D. Petri Gossetii totius Ordinis Generalis ad Sanctam Mariam Mussipontanam singuli se ipsos conscripserunt in piam memoriam, quod sit Annô millenô centenô bis quoque denô sub Patre Norberto fundatus Candidus Ordo.

Congruit decreta, monitáque Capitulorum annuorum nostræ Congregationis reformatæ præ manibus habere, cùm in Capitulo anni 1647. ordinatum fuerit, ut ea singulis in Monasteriis præfatæ Congregationis toties quoties Superiori expediens visum fuerit, legantur, & in Capitulo anni 1642. Ordinationes Capitulorum & Visitationum sæpius perlegantur.

A.

Abbatem appellabant loquendo Reverendum Patrem, scribendo Reverendum admodùm Patrem. Capitulum an. 1650 & 1652.

 Abba-

Abbates ſecundùm electionis tempus ſive ſecundùm antiquitatem Abbatiarum, uti Statuta præſcribunt, Ordinem teneant. Cap. an. 1655.

Abbatibus Reformationem in ſua Monaſteria introducentibus, etiamſi pro ſe illam non admiſerint, Religioſi obedientiam debent. Cap. an. 1629.

Abbatibus uſum mitræ non prohibere aſſerit Cap. an. 1654.

Abbates, qui non poſſunt venire ad Capitulum, ſubſtituere non poſſunt Priorem ſuum. Cap. an. 1650.

Abſolvendi facultate per breve Apoſtolicum nobis ſpecialiter conceſsâ poſſunt uti tam locorum Superiores, quàm Conſiliarii R. P. Vicarii Generalis, Viſitatores, & Magiſtri Novitiorum, valéntque ex Religioſis ſuis, quos in Domino judicaverint, modò tamen probati exiſtant, ad id muneris deputare. Cap. an. 1640.

Abſtinentia ab ovorum & caſei eſu diebus Lunæ & Martis poſt Dominicam Quinquageſimæ ſervanda ex praxi Communitatis & Patrum noſtrorum juxta antiqua Statuta. Cap. an. 1634. & an. 1640.

Acceſſus ad Superiorem fiat ſingulis menſibus. Cap. an. 1635.

Adjunctus R^mi^ D. Generalis Viſitantis Congregationem ſingulis annis eligatur in Capitulo etiam non Definitor, Adjunctus verò R. P.

R. P. Vicarii Generalis, qui ſit Definitor, eligatur. Cap. an. 1621. & 1633.

Ædificia erigere aut deſtruere ſinè licentia Capituli annui vel majorum Superiorum ſcriptò obtenta, prohibuit Capitulum an. 1625. 1635. 1658. 1659. 1695.

Ægrotantes, ſi eis contingat, obedientiam advenire, priùs ſanentur expenſis domûs, quâ exeunt. Cap. an. 1655.

Almutiorum uſus adhibeatur in Divinis Officiis, Cap. an. 1655.

Articulorum Reformationis noſtræ lectio fiat extra Refectorium in Feſto Innocentium. Cap. an. 1621.

Articulos Reformationis non obligare ad peccatum magìs, quàm Regula & Statuta communia Ordinis, quorum materia etſi non obliget vi Regularum & Statutorum, tamen certum eſt, illam plerumque ex ſe vel ex adjunctis obligare modò ad veniale, modò ad mortale, ad veniale, ubi intercedit negligentia, vel nimia libido, ad mortale, ubi eſt gravis materia ex ſe, vel ratione ſcandali, vel contemptûs, vel periculi, declaravit Cap. an. 1623.

B.

BEnedictio mensæ secundæ est eadem, quæ primæ. Cap. an. 1634.

Benedictio mensæ & gratiarum actio extra Refectorium qualis fieri debeat, ordinavit idem Capitulum an. 1634.

Beneficia sinè Superiorum in scriptis obtenta licentia directè vel indirectè procurantes juxta Statutorum Distinctionis 4tæ. Caput 14. declarentur inhabiles ad beneficia, & sententiam excommunicationis incurrunt, & manet casus reservatus. Cap. an. 1655. 1675. 1680.

Iidem priventur suffragiis post mortem. Cap. an. 1647.

Byreta quadrata assumantur, quorum usus esse debet à Paschate usque ad Festum omnium Sanctorum juxta Ordinationem Capituli Generalis, mandavit Rmus D. Generalis in Capitulo an. 1658.

C.

C.

CAntari debet Salve Regina vel Ave Regina post Capitulum, etiam illa Antiphona, quæ notatur post Completorium, licet aliæ horæ non cantentur. Cap. an. 1696.

Cantor in Capitulo Vespertino statim post benedicite tertium, septimum, & trigesimum defunctorum diem, primúmque eorundem anniversarium recitet, brevia mittenda pro defunctis curet, & allata legat. Cap. an. 1634.

Capitulum annuum Communitatis, qualiter celebrandum ordinavit Capitulum an. 1621. & mandavit, ut Superior & Conventualis accedant ex quolibet Monasterio. Capitulum, ut singulis trienniis haberetur, resolutum fuit in Capitulo an. 1689.

Capituli tempore omnia fiant opera bona pro bono illius successu. Cap. 1628.

ad Capitulum sabbato ante Dominicam secundam post Pascha accedant. Cap. an. 1621. 50. 52. 54.

In Capitulo annuo Oratio Latina habebitur ipsâ Dominicâ post summum Sacrum. Cap. an. 1634.

ubi Capitulum celebratur Dominicâ die summum Sacrum de S. Spiritu, die Lunæ de B. Virgine, die Martis de S. Norberto, solemniter omnibus Capitulantibus præsentibus celebratur. In aliis Monasteriis die Dominicâ summum Sacrum de S. Spiritu non

obſtante quocunque Feſto triplici ſolemniter fiet. Eadem die Dominicâ & duabus diebus ſequentibus quilibet Canonicus recitabit pſalmum Miſerere Pater, & Ave cum collectà: Deus, qui Charitatis dona. Converſus quoque pſalmum Miſerere Pater & Ave ſinè collecta. Cap. an. 1621. 28. & 32.

Capituli Præſes exhortationem faciet Dominicâ poſt prandium. Cap. an. 1621.

Capituli tempore Superiores vel Conventûs Præſides diſcurſionem aut recreationem extra Monaſterii ſepta ne concedant, ſub gravibus pœnis inhibuit. Cap. an. 1638.

Capitulum proclamationum fiat immediatè ante Completorium. Cap. an. 1622.

in Capituli annui loco nullus niſi ſabbato ante ſecundam Dominicam Paſchalem poſt prandium ſe ſiſtat. Cap. an. 1634.

Cappæ ex leviori materia confectæ geſtabuntur in urbibus. Cap. an. 1622.

Carnium eſus in Monaſteriis noſtris etiam Principibus à Gregorio IX. & Innocentio IV. prohibitus ſit interdictus non modò noſtris, ſed etiam extraneis cujuscunque conditionis, & qualitatis exiſtant, & quidem ſub pœna depoſitionis, excipitur tamen caſus ægritudinis. Cap. an. 1692.

Carnium eſus ut concedatur itinerantibus non ſolùm conſenſus duarum tertiarum de Conventu, ſed etiam R. P. Vicarii Generalis

lis pro qualibet itineris vice requiritur. Cap. an. 1628.

Carnes comedere non licet Parochis extra domum Parochialem, dum diſpenſatur cum illis quoàd eſum dictum. Cap. an. 1675. 1684.

Cellarium Conventûs licèt ab illo electum poteſt Superior deponere, ſi non conveniat. Cap. an. 1655. deponendum eſſe illum, qui bibiſſe & comediſſe absque Superioris licentia convincitur bis vel ter monitus, ſi ſit relapſus. Cap. an. 1650. & an. 1665.

Chlamidis ſeu thoracis id eſt Gallicè Juſt au corps uſus prohibetur per Cap. an. 1647. 1695.

Circator Litanias B. V. in medio dormitorii flexis genibus recitet, iisque recitatis ſingulas perluſtret cellas, ut videat, num omnes ſe lecto commiſerint. Cap. an. 1622. & ſeqq.

Clavium cuſtos clavim ad Superiorem deferat è monaſterio egrediens. Cap. an. 1655.

Collaria noſtra, quæ debent eſſe lanea, replicentur ſuper collare togæ talaris ad latitudinem pollicis juxta dictamen Statutorum. Cap. an. 1637. & 1655.

Collationes ad Conventum fiant alternis ſaltem diebus de Scriptura Sacra, vel de Theologia morali, ubi ſtudia non vigent. Cap. an. 1640. & 1722.

Colloquium die Parasceves poſt refectionem non denegandum. Cap. an. 1640.

Come-

Comeſtio in Refectorio non inchoabitur, niſi poſt ſignum datum à Superiore. Cap. an. 1667.

Computûs reddendi modum præſcripſit Capitulum an. 1623. & 1638.

Conciones pro Adventu vel Quadrageſima ſuſcipere ſine expreſſa Capituli annui aut Vicarii Generalis & Conſiliarii facultate nullus præſumat. Cap. an. 1650.

Confeſſarii non audiant confeſſiones ſæcularium niſi in confeſſionalibus, & niſi ad cratem præſertim mulierum & nunquam in Sacriſtia. Cap. an. 1648.

Conſtitutioni, quæ incipit Unigenitus &c. ſeſe ſubjicere ſincerô animô, & librum, cui titulus Reflexiones morales, centúmque & unam propoſitiones ex eo extractas cum qualificationibus in Bulla contentis rejicere & damnare, præcipit ſingulis ejuſdem noſtræ Congregationis Profeſſis, & ne quid contrarium ei doceatur, prohibuit Capitulum an. 1723.

Contractûs forma cum eo, qui in ſervum perpetuum recipitur, præſcribitur à Capitulo an. 1638.

Conventualis ad Capitulum deputandus quatuor ad minus diebus ante ejus diſceſſum è Monaſterio & in loco Capitulari eligatur. Cap. an. 1621. forma ſchedulæ pro eo præſcribitur, ibidem. Statum temporalium Monaſterii ſecum deferat. Ibidem.

Con-

Conventualis nullam vocem habebit in Capitulo nisi in difficultatibus suæ domûs. Cap. an. 1642.

Conventualis etiam ex Residentiis deputabitur ad Capitulum. Cap. an. 1651.

Conventualem eligere tenetur Monasterium, quod sex Religiosos Clericos habet ultra Superiorem; si pauciores fuerint vel ob certas causas , ex alio Monasterio deputari potest. Cap. ann. 1642. NB. Hæc ordinatio reducta est, ut servetur potiùs ea ad apicem Bullarum. Cap. an. 1642.

Conventualis officium est, ut ea , quæ totus Conventus vel particularis aliquis verbô vel scriptô vult indicari , Capitulo fideliter nunciet , simúlque statum temporalem sive rationes Monasterii secum deferat, & exponat. Cap. 1621.

Conventualis ad Capitulum deputatus Religiosorum difficultates sibi commissas scriptas & illorum manu subsignatas habeat. Cap. an. 1650.

Conventualis revelans concredita mulctabitur pœnâ arbitrariâ. Cap. an. 1621.

in Conventualem vel aliud officium ut eligatur , si quis aliorùm vota pro se, aut pro alio solicitasse convictus fuerit, toto trienniô ad hujusmodi electionem voce activâ & passivâ privatus existat. Cap. an. 1632. & 1655.

Credo non esse dicendum in Missa S. Joannis Baptistæ, etiamsi Festum infra octavam

Cor-

Corporis Christi celebretur, resolutum fuit à Capitulo an. 1640. sed correctum est, ut dicatur per Cap. Generale an. 1663.

Conversus non habet vocem activam neque passivam in electionibus Conventualibus. Cap. an. 1632.

Hic professione emissâ instructioni Magistri Juniorum subjectus erit, quamdiu id Capitulo vel Vicario Generali visum fuerit. Cap. an. 1634.

D.

DEambulationis gratia Monasterio egressi non divertant ad urbes, pagos, vel domos quascunque, sed in loco ab hominum frequentia & conspectu, si fieri potest, remoto. Cap. an. 1650.

Decreta & monita ab annuis Capitulis facta singulis in Monasteriis toties, quoties Superiori expediens visum fuerit, legantur. Cap. an. 1634. 1643. 1647.

Definitores Capituli eliguntur omnium Capitulantium suffragiis. Cap. an. 1621.

in Definitorem non debet eligi Superior in Monasterio R. P. Vicarii Generalis. Cap. an. 1641.

in Definitores assumentur Abbates & Priores, qui laudabiliter functi officio Superioris. Cap. an. 1622. 1638.

Definitor primus fungitur vices Vicarii Generalis defuncto Vicario Generali, & præsidet Capitulo annuo absente Domino Præmonstratensi in dicto casu, nec est depositus nec deponendus in Capitulo, cùm præsidere debeat. Cap. an. 1683.

Definitores post Superiorem domûs locum tenent. Cap. an. 1640. Possunt accipere & scribere litteras inconsultô R. P. Vicario Generali. Cap. an. 1640.

Definitorum unus ut de Normanniæ Provincia eligatur semper. Cap. an. 1685.

Definitores in absentia Vicarii Generalis debent instituere visitationes. Cap. an. 1640.

Definitores regiminis tres eligantur. Cap. 1632; sed duo primi Definitores sint Consiliarii R. P. Vicarii Generalis, & tertius in defectu unius ex illis tribus. Cap. an. 1642. & 43.

Defunctorum Confratrum loca, ubi eorum corpora sunt humata, notentur. Cap. an. 1641, ut eorum nomina, annus & dies obitûs in silice tumuli sculpentur, mandavit Capitulum an. 1623.

Defunctorum officium & Missa major, quæ in singulis Monasteriis pro quolibet Confratre

tre mortuo fieri debent, non differant ultra hebdomadam. Cap. an. 1628.

pro Defuncto Confratre tres Missæ leguntur à singulis sacerdotibus. Cap. an. 1623. ultra tres aut quatuor dies nisi occurrant festa duplicia vel octavæ primæ classis, decrevit Capitulum an. 1632. & 1675.

pro Defuncto Generali & Vicario Generali tantum fiet, quantum pro Superioribus loci defunctis in Congregatione nostra fiet. Cap. an. 1625. & an. 1637.

pro Novitiis sicut pro Professis. Cap. an. 1625. & 1638.

pro Defuncto Confratre bona opera ad 40. dies applicentur. Cap. an. 1623.

pro Defunctis Confratribus annô illô mortuis nunquàm omittant sacerdotes celebrantes Missam habere secretam commemorationem. Cap. an. 1623.

Diaconi maneant sub disciplina Magistri Novitiorum, usque dum fuerint Sacerdotes. Cap. an. 1640.

Disciplina corporalis dierum Veneris anticipetur, si incidat Festum duplex vel majus. Cap. an. 1622. & an. 1633. in declaratione super Statutis renovatis.

